


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
10 H
32



VITA TERESIAE REGINAE LEGIONIS: ET SANCIAE

Dominæ Ierabricæ Sororum Lusitanarum.

Sanctimonialium Cistercienſium Sancti Bernardi inſtituti, quæ Vulgò, Sanctæ Reginæ, appellantur.

FRATRE FRANCISCO MACEDO Luſitano Minore obſeruante Authore.



ROMAE.

Typis Philippi Mariæ Mancini 1667.

Superiorum permiſſu.

Jo [illegible]

Illustriss. & Reuerendiss. D.

IACOBO
ABBATI
ROSPIGLIOSO



IBELLVM, quem tibi Illustrissime, suppliciter offero, eo ipso, quo Clemens IX. Pontifex. electus est die, subiectum iam anteà prælo absolueram. Non poteram optare melius ei natalitium sidus, quam quod offerebat occasio. Sed tanta cum eo lux est oborta, vt Solis instar effulserit, cuius tener, & paruulus fœtus minus patiens fuit. Sidus igitur illi soli proximum te, & quæsiuit, & respexit, congruens natalibus, vt tutò, & aptè nasceretur. Nec obstitit longinquitas, quam & tuus eximius splen-

dor sustulerat, & studium benefaciendi extinxerat. Vtraque gentilitia dos est Rospigliosæ Familiæ, quæ cùm illustris semper, & magnifica per se fuit, tum benigna, & benefica in alios extitit. Talem te experti sumus, qui te Illustriss. Abbas, nouimus adolescentem priuatum, cùm & in studijs litterarum, & academijs versarere, qui cùm esses ingenio, doctrinaque excellenti comem, & vrbanum erga cæteros te sine discrimine exhibebas, eoq; apud omnes gratiosum; vt apud alios diuersari Gratiæ, apud te habitare viderentur. Itaque iam tum quocumque te verteres eò tecum, & oculos, & corda hominum conuertebas. Hac indole domi omni disciplina virtutis à Patruo Iulio Cardinali Rospigliosò, nunc Clemente IX. Pontifice institutus, ad eius te imaginem ita conformasti, vt non modo ad

vm-

vmbrares, ſed etiam exprimeres. Ex illa vmbra domeſtica eductus in lucem Aulæ, præclara ingenij, prudentiæ, fidei, integritatis, modeſtię documenta dediſti. Bruxellas Pronuntius miſſus ſedis Apoſtolicæ dignitatem, doctrinæ præſtantia, & grauitate morum commendaſti. Rem Romanam ita geſſiſti, vt illius potior, quàm politicæ ratio haberetur. Anguſtum tamen erat illud, pro tuæ amplitudine virtutis, Theatrum. Diuina igitur Prouidentia effecit, vt Iulius Card. Patruus tuus Pontifex crearetur, qui te votis omnium expetitum Romam vocabit, ſuoque lateri admotum Vniuerſalis Eccleſiæ adminiſtrationis participabit; quò latiùs in commune bonum Pontificij fontes emanent. Hic capax tuarum virtutum locus eſt: in quem totius Orbis vniuerſi-

tas confluit, & à quo eius vita salusque pendet. A Clemente IX. sunt exempla petenda, proficies imitando. Nec difficilis erit imitatio ei, cui est ingenita similitudo. Cumque tibi propositum sit gentilitiam præstare clementiam, eius ego vsuram meritò postulo, dum patrocinium huic meo fœtui à Clementia tua posco. Quod sumere non auderem, ad id me cogit accipiendum Religio. Vnum vereor, ne te minus deceat, quod est exiguus. Verum & ille ita natus est, & magnum tamen nactus est sidus. Deinde pondere valet, non mole. Argumentum enim pondus habet & dignitatis, & virtutis. Nimirum Vitam Teresię Principis Lusitaniæ Reginę Legionis, quæ totam Hispaniam virtutum suarum odore, & fama impleuit. Quam dignam existimarunt Innocentius III. & Gregorius IX. litteris Apostolicis,

quibus

quibus eam, & salutarunt, & ornarunt: & Vitam Sanciæ Sororis, quæ spretis nuptijs Ferdinandi Legionis, & Castellæ Regis virginitatem suam Christo consecrauit: ac prima Religiosos Sanctorum Patriarcharum, Frãcisci primùm, deinde Dominici excepit, & protexit. Accedit pretium professionis religiosæ quam in Cisterciensi Ordine ex S. Bernardi instituto ambę, ædificatis ad id suis sumptibus Monasterijs, emiserunt. Quod attinet Apotheosin: iam pridem de illa apud sedem Apostolicam agitur; nunc ope tua, & patrocinio spem certiorem concipiemus eam à Clemente IX. Pontif. impetrandi, tum propter tuam apud illum gratiam, tum propter nimiã eius erga superos pietatem; quorum Altaria conatur augere: tum propter summã eiusdem in omnes beneficentiam. Eoque Clemens IX. viuerum ad bene-

merendum de Christiana Republica studia excitabit, qui omninò sibi persuadebunt non posse viuentibus, & merentibus deesse præmia, quæ sunt ab eo mortuis, & mereri minime valentibus constituta. Vale.

Tuus ex Asse

Fr. Franciscus à S. Augu stino Macedo.

NXIVS in ſcribendo moroſum te in legendo volo, vt quæ ſumma accuratione ſcripſi ſcrupuloſè examines: quò videam, quæ à me ſunt lentè ac faſtidioſè probata, vtrum ea tibi, vel ſeuerè cenſenti ſatis faciant. De fide rerum non eſt quòd dubites. Habui exemplaria idonea, & iuris publici quibus religio ſit non credere: cum acta vnde ſumpſi, quæ ſcribo, ſecundum leges Tridentini Concilij ſint confecta, à ſuperioribus recognita, & Romam miſſa Itaque narro fide aliena, in quam tibi non eſt poteſtas. Quod eſt meum, id eſt character, & forma ſcribēdi, vno verbo, ſtylus, de eo iudicandi integram tibi, & liberam poteſtatem facio. Certè quicquid neruorum in eloquendo ha-

beo, huc id omne contuli: ac illud pro mea tenuitate Ciceronis paulùm tamen deflexum vſurpo. *Scriptæ ſunt hæ vitæ accuratè a nobis, & ſi vnquam in ſcribendo fuimus aliquid, aut etiam ſi nunquam aliàs fuimus, nunc profectò amoris, & obſeruantiæ in haſce* Reginas *magnitudo vim nobis ſcribendi dedit*. Quòd ſi moroſus tamen eſſe velis, quòd ornatiora tibi quàm pro ſimplicitate veritatis hiſtoricæ videantur, & malis cum Attico *horridula, & neglecta* afferre, eundem tibi Ciceronem opponam, qui ſic eius opinionem refutat, ſcribens ad eum de hiſtoria Conſulatus ſui à ſe accuratiſſimè compoſita. *Meus inquam liber, totum Iſocratis* μυροθήκιον, *& omnes eius diſcipulorum arculas, ac non nihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumpſit*: nō quòd id ego ſim aſſecutus, ſed quòd eo excuſo, quē potui orna-

ornatũ, & nitorẽ dictiònis adhibere. Cum pręsertim alia ſit ratio ſcribendi hiſtoriã, alia vitas: inter quæ genera ſic ſoleo diſtinguere, vt Hiſtoriã texturę ſimplicis telę comparẽ, vitas picturæ artis Phrygionicę, quæ acu fit, eſtq; ſubtilior multò, & delicatior, & ſericum, & argentũ, & aurum admittit, & varietatem exigit: ac idcirco conciunculas inſerui ad concitandos affectus accommodatas; volo ènim vt ardeas interdum lector, & colliqueſcas; & quibus ego dum ſcriberem pungi me ſentiebam, ijs tu per mea verba expreſſis ad omne virtutis genus ſtimulère. Quoquo tamen modo ſtylus ſe habeat, res tu expende: & ad ea, quæ leges, acta te compara. De dictione rectè ne, an ſecus ſentias, haud multùm morabor. Vale.

FR.

FR. BONAVENTVRA CABALLVS Ord. Min. Strict. Obseru. Sacræ Congregationis Rituum Consultor, & in Cismontana Familia Obseru. ac Reform. Commissarius Generalis, & Seruus. Dilecto nobis plurimũ in Christo P. F. Francisco à S. Augustino Macedo, eiusdem Ordinis, & instituti Lectori Iubilato, & salutẽ in Domino.

OPus quoddã, cui titulus est: *Vita Teresiæ* à te cõpositum, & elaboratum, cum à duobus Religionis nostræ Theologis reuisum & approbatum fuerit, quibus id rei commisimus, harum vigore facultatem tibi facimus, quatenus illud cum benedictione Dei Typis mandare possis, seruatis in reliquo sanctionibus Apostolicis, nostrique Ordinis Constitutionibus. Vale. Datum Romæ in Aracæli, Die 22. Iulij 1667.

Fr. Bonauentura Caballus Commissarius Generalis.

Approbatio R.P. Fr. Francisci Maria de Castro S. Petri Prouinciæ Bononiæ Patris, Custodis Lectoris Iubilati.

LIbrum istum, qui *Vita Theresiæ* prætitulatur, sic mandante Reuerendiss. P. Commissario Generali, ea qua potui diligentia percurri. Cumque in eo quidpiam, quod San.

Sanctæ Fidei, aut bonis moribus aduersetur minimè repererim, prælo dignissimum existimaui. Prodeat igitur tantum opus in lucẽ, & ad tanti præceptoris gloriam, & ad Religionis Seraphicæ decus, ac incrementum. Datum Romæ die 12. Iulij 1667.

Fr. Franciscus Maria de Castro S. Petri Prouinciæ Bononiæ Pater, & Custos.

Approbatio R. P. Fr. Romani petrelli, Lectoris Generalis.

OPus istud, cuius titulus est, *Vita Theresiæ* ex iussu Reuerendiss. P. Commissarius Generalis ego infrascriptus diligenter inspexi, cumq; nihil contra Catholicã fidem, aut bonos mores, sed potiùs omnia ad eiusdem fidei exaltationem, & studiosorũ profectum vtilia inuenerim, typis mandari posse censeo. In quorum fidem, &c. Datum Romæ in Conuentu S. Mariæ de Araceli die 16. Iulij Anno 1667.

Frater Romanus Petrellus Lector Generalis.

Imprimatur
Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. Episc. Arimini Vicesg.

DE mandato Reuerendissimi P. Magistri S. Palatij Apost. legi librum, non tam de Reginarũ Maiestate, quam de ornata sermonis sublimitate censendum, cui titulus, Vita Theresiæ Reginæ Legionis, & Sanciæ Dominæ Lerabricæ, Sororum Lusitacorum, &c. Fratre Francisco Macedo Lusitano Autore, *in quo sicut nihil non Catholicæ Fidei, & Christianis moribus consonum reperi, ita Latini medullam sermonis suauissimè degustaui. In hunc librum (thesaurum verius dixerim, æquè argumenti dignitate ac aurea eloquij scena spectabilem) non solum diuitias omnes sui congessit ingenij, sed Autor, qui totus eloquentia est, usque ad eo semetipsum totus effudit, vt pretium paginis facere videatur, non magis descripta sceptra, quam calamus. Dignum propterea existimo,*

mo, qui in Reipublicæ litterariæ commodum edatur in lucem, præsupposita Superiorum, ad quos pertinet, facultate, tot habiturus laudum suarum præcones, quot inueniet vbiq; Lectores, &c. Romæ in Conu. S. Augustini die 13. Maij 1667.

Fr. Ludouicus de Gen. Ord. Erem. S. August.

Imprimatur

Fr. Hyacinthus Libellus Sacri Palatij Apostolici Magister.



V M Sanctissimus D N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625 in Sacra Congregationes S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iunij anno 1734. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, seu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, gesta, miracula, vel reuelationes siue quæcumque beneficia, tanquam eorũ intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus sine ea impressa sunt nullo modo vult censeri approbata. Idem autem

tem

tem sanctissimus die 5. Iunij 1531. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super personam; benè tamen ea, quæ cadunt supra mores, & opinionem, cum protestatione in principio, quod ijs nulla adsit auctoritas ab Ecclesia *Romana; sed fides tantum sit pœnes Auctorem. Huic* Decreto, *eiusque confirmationi, & declarationi, obseruantia, & reuerentia, qua par est, insistendo, profiteor me haud alio sensu quicquid in hoc* Libro *refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea solēt, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut* Sanctæ Sedis *Apostolicæ nituntur: ijs tantum modo exceptis, quos eadem sancta* Sedes *Sanctorum Beatorum, aut Martyrum catalogo adscripsit.*

FINIS

VITA TERESIAE REGINAE LEGIONIS: ET SANCIAE

Dominæ Ierabricæ Sororum Lusitanarum.

Sanctimonialium Cistercienſium Sancti Bernardi inſtituti, quæ Vulgò, Sanctæ Reginæ, appellantur.

FRATRE FRANCISCO MACEDO Luſitano Authore.

CAPVT I.

Brevis Regni Luſitani deſcriptio.



QVA Hiſpania Occidentem ſpectat, & Oceano extremo alluitur, Luſitania iacet, in longitudinem iu-

ſtã porrecta: cæterùm anguſta, hinc angente terra, hinc vetante mari; ad Septentrionem ardua, & clauſa montibus, ad Auſtrum plana, & aperta campis: pars maritima cuneata littoribus, curuata ſinubus, diſtincta promontorijs; interiùs frequens, exteriùs portuoſa, ad commercium vndique opportuna; ſalubri Cælo, fertili ſolo, piſcoſo mari. Gens quondam armis ferox, ſibi hærens, ſocietatis inſolens, cùm deſueta exteris; deinde vſu, & conſuetudine manſuetior, litteris etiam clara; belli iuxtà, & pacis ſtudijs floruit. Ingenitæ libertatis amans, & tenax: ſeruitutis impatiens, Romanum primùm, deinde Mauricum iugum vltima admiſit, & prima excuſſit. Chriſtianis ſacris initio religionis imbu-

ta, traditam Fidem nulla vnquam ſorde hæreſis inquinata, nulla ſchiſmatis labe infecta, inuiolatam ſeruauit. Ante, & poſt exactos Mauros communes Luſitani cum cæteris Hiſpanis Reges habuere, donec anno fermè centeſimo poſt milleſimum, cùm Alphonſus Sextus Hiſpaniæ Rex auulſam à corpore Regni partem cum Tereſia Filia Henrico Lotharingo ne? an Burgundo? Principi in dotem dediſſet, Alphonſum filium, maternum ius ad ſceptrum trahentem, Regem ſalutarunt. Inde proprij Luſitanis Reges eſſe cœperunt. Poſtea rem ſtrenuè armis gerentes intus Regnum, imperium foris propagarũt. Primùm in Africam, mox in Aſiam, demum in Americam intulere arma, cum ſigno Crucis con-

iuncta: primique & nauigationis instituendæ, & Religionis amplificandæ auctores fuere. Quicumque populi aut explorare maria, aut aperire terras sunt ausi, Lusitanos & imitati, & secuti Orbem peragrando, impressam vbique eorum virtutis orbitam inuenerunt. Vnus omnium Europæ regum Lusitanus ex aulæ suæ fenestra in Tagum subterfluentem incumbens venientes ex quatuor partibus diuersis coniunctas pariter vno momento naues videt, seque omnium gentium linguis Dominum salutari audit. Adeò angustum illud regnum longè latèque dominatur, vt cum in vniuersum se effundat Orbem, eundem in sinu suo collectum recipiat.

CAPVT II.

Alphonſi Primi geſta, & Aulæ inſtituta, & mores.

INito regno Alphonſus Primus poſt fractas Maurorum opes, & vindicatam armis vlteriorem Luſitaniam, quam Minius Durius, ac Munda fluuij interſecant, per reliquas prouincias circũlaturus arma ſedem ac regiam Conimbricę fixit. Hãc vrbem potiſſimùm delegit in corde regni ſitam, & ipſam cor regni, trophæi more in edito poſitã, oleis cinctam, quæ lauros mitigarent, pronam in amnem, ſalubrem, & amęnam, ad reficiendas vires, & ſudores belli detergendos idoneã. Hic iuſtum Mafalda vxor, & Re-

gia familia domicilium posuit. Hinc Alphonsus armatus ad prælia ferox, & alacer exibat. Huc ad otium post victoriam iam mitis, & lentus redibat. Illo sub Rege, ac Sancio filio, si arma spectes, ferreũ, tempus fuit: si mores, aureum. Pio & assiduo occupatis bello, non obrepebant vitia: quippe nec desidia laxabat vires; nec vagæ libidines eneruabant corpora: nec fallax adulatio extinguebat fidem: nec turpis ambitio sustulerat merita; obduratos militari vsu animos blãdæ deliciarum tineæ corrumpere non poterant; nec obducto callo solidata membra mollibus voluptatum illecebris cesserant: galea premente frontem nemo calamistris intorserat crines. Asperatis gladio, & scuto manibus nec dissolu-

tis, nec rapacibus esse licebat. Pares feminæ viris. Domi contineri, pēsa obire, colum, & acum tractare, rarò conspici, ornamenta negligere; fucos & pigmenta ignorare; alienos vultus non intrudere, proprios ingerere, à vino tēperare, nihil olere: virgines verecundiam, matronę grauitatem præ se ferre. Indole sua quisque vtebatur, & suo se prodebat ingenio. Imago animi vultus, indices oculi, sensa cordis verba exprimebant. Atque vti vultus sine fuco, ita animus sine dolo. Domi humanitas, in foro fides vigebat. Mensæ parcæ, somni breues, vestitus, & cibus parabilis. In armis, & equis elegantia. Tanti fieri quisque solebat, quantum de Rege, de que Republica merebatur. Rectè facta, & præ-

clarè gesta certa prȩmia sequebantur : secùs actis supplicia iusta constabant . Si quid à quoquam delictum, humanæ imbecillitati dari; non aut impudentiæ, aut malitiæ assignari solitum . Innocentes animi de criminibus mitiùs iudicabant . Summa in Rege, Regina que religio accendebat ad pietatem cæteros . Charior his qui propior Deo erat . Magna inter se concordia ciuium, ac eò maior quòd circumstabant Mauri, quibus cum non tam regni amplificandi cupidine, quàm asseruandæ religionis studio bellabant . Hæ artes, hi mores illis congruebant temporibus; quanquam nec boni mores sint beneficia tȩmporum, nec praui vitia eorundem, sed hominum, qui vt se purgent malefacta tempori im-

pu-

putant, atque vt excuſatio ſit veroſimilior, iiſdem rectè facta aſſignare malunt.

CAPVT III.

Sancij Patris Tereſiæ, & Sanciæ indoles, & proles.

HAc in vrbe, in hac regia Sancius primus Alphonſi Patris filius, & hæres natus, ac educatus pios æquè, ac nobiles ſpiritus hauſit, eos adultus magno reipublicæ profectu, ingenti Maurorum damno ſeruauit. Patris in templis comes, in bellis adiutor, æquare potuiſſet Alphonſum, ſi parem is habere poſſet. Eo viuo duxit vxorem Dulciam, ſiue Aldonciam inſignem forma, & virtutibus virginem,

ginem, ſuis dignam parẽtibus prolem. Berengarium quippe Comitem Barcinonenſem patrem: Petronillam, Aragoniæ regis filiam, matrem habuit. Plures ex Dulcia liberos ſuſcepit Sancius: virilis ſtirpis tres. Alphonſum natu maximum, hęredem regni, Craſſum poſteà dictum. Ferdinandum, qui in Flandriam vocatus ab amita Mathilde, illius opera Ioannam vnicam Balduini Flandrię Comitis, & poſteà Imperatoris Conſtantinopolitani filiam, & hæredem connubio ſibi iunxit, & infunetto apud Bouinas prælio à Philippo Auguſto Galliæ rege, aduerſus quẽ pugnabat, captus, & in Luparã Pariſijs coniectus tandiu in vinculis fuit donec à Ludouico Nono eductus paulò poſt Nouioduni ſine liberis

beris obijt. Petrum, qui propter ſimultates cum rege fratre ſuſceptas in Mauritaniam ſeceſſit, ibique cum diu in magno apud Barbarũ regem honore vixiſſet, mortuo fratre in Luſitaniam redijt: creatus poſteà Comes Vrgellenſis, deinceps Rex Balearium inſularum inſtitutus, impar viribus oblatum principatum ſuſtinere non potuit, & nulla relicta prole Dynaſta deceſſit Hi Mares. Fæminæ fuere quinque. Tereſia, Maſalda, Sancia, Berengaria, Blanca, quarum (vt interim omittam de quibus ſcribimus duas) Maſalda inceſtis nuptijs Hẽrico Primo Caſtellę Regi copulata, poſt ſuſceptam ex eo ſobolem auctoritate Romani Pontificis diremipto matrimonio, thoro excluſa in Aroucenſe monaſterium Ciſ-

ſtercienſis ordinis, ſuis ad id ſumptibus ædificatum, incluſit ſeſe, ibique reliquum vitę tempus exegit. Berengaria innupta in regno Caſtellę Guadalaiarę, cuius domina effecta eſt, vixit. Mortuę oſſa in Luſitaniã delata ad Sanctę Crucis iuxta patris ſepulcrum iacent. Blancam nouiſſimam virgunculam Tereſia, cum diſſoluto matrimonio in patriam reuertiſſet, ad Loruanienſe Cęnobium in quo ſe condiderat, ſecum duxit, & Chriſto cõſecrauit, & breui amiſit. De Tereſia, & Sancia ſcripturi ſumus. Nothos non curamus.

CAPVT IV.

Domestica Reginę, & aulicarum virginum illis temporibus exercitatio.

VTi viri id temporis apud regem militaribus ſe operibus exercebant, ita virgines Palatinæ apud reginam muliebribus artibus operam dabant: quæ horæ tum diurnę, tum nocturnæ maioribus curis vacuæ ſupererant, eas ad muliebria obeunda penſa conferebant. Quod quia in ſolemnem conſuetudinem vertit, & ad illuſtrium feminarum familias tranſijt, neceſſe eſt accuratè deſcribere ad ſpecimen officij. Gynæceum eſt amplum, & liberum in quo tabula-

latum modicè erectum, & parieti commissum, longum magis, quàm latum porrigitur tapetibus constratum. Hic sedetur more patrio in solo; nisi quòd Reginæ, ac regij sanguinis feminis puluini subsunt. Hic est ordo sedentium. Eminet regina in sũmo, à lateribus regiæ feminæ considunt. Hæc prima series est: succedit secunda nobiliũ virginum aulicarum, intra tabulatum, sed humiliter sine puluinis sedentium. Tertia, quæ ancillarum est, extra tabulatum manet, & in pauimento storeis è nitido iunco intextis cooperto sedem habet, vt sua cuique statui dignitas constet. Atque vt locis dissident, ita materia, & opere differunt. Supremæ acu pingere, & adhibito auro, & serico artem Phrygiam exercere: me-

diæ tenuiſſima lina interiectis filis diuerſicoloribus diſtinguere, & criſpare: infimæ inſerta lateri colu, & acto in tortilem modũ fuſo, linum & lanam carpere, & deducere: ſic ad multam diem laborare: ſic lucubrare ad multam noctem. Confectis operibus, in ſymbolum penſa colligere, ſecernere, & in diuerſas ciſtas reponere, vulgaria in ueſtitũ priuatum, & domeſticum vſum conferre, pretioſa ad ornatum, cultumque ſeruare, excellentia altaribus deſtinare, & ſacris addícere. Hæc reginæ, & regiarum virginum opera erant: pietatis in ſuperos argumenta laborioſa; nec alia merces exigebatur præter accipientium preces, non imperatas tamen à donantibus, ſed oblatas, & voluntarias. Hac ratione veſtiri nobiliùs

are

aræ, ſacrari religioſiùs, ſplendere clariùs: ornari effigies, & ſimulacra decentiùs, ſupellex vbique ſacra copioſius augeri: diurnum illud, & nocturnũ feminarum otium belli, & foris negotijs æquari. Interdum reges huiuſce laboris vſuram capiebant: ſupererãt quippe ex operis, quæ militibus, vel incitamento ad militaria patranda facinora, vel præmio ijs patratis eſſent; & glorioſum erat his ornamentis diſtingui milites, & noſcitari. Sic aulicæ virgines accendendo ad prælia bellatores, vel ſedentes hoſtem vincebant.

CA-

CAPVT V.

Tereſiæ inter reliquas aulicas virgines in officio præſtantia.

EMinebat inter cæteras, impensè dedita ſtudijs pietatis. Erant quædam communia. Diuinis intereſſe myſterijs, interiores ſenſus ad meditationem reuocare, ſacrarum precum penſum conficere, relata in album ſanctorum nomina inuocando reddere, piacularium orbiũ filum (Roſarium dicũt,) precando deducere. Hæc quotidiani muneris erant. Illa certis ac frequenter ſuſcepta tẽporibus; ſacris adeſſe concionibus, aperire conſcientiæ latebras, & contractas ſordes ſacerdoti exponere, Euchari-

ſticum cibum ſumere, quæſtiones excitare pias; collationes, ſanctorum Patrũ more, de rebus ad profectum animi attinentibus instituere. In his Teresia deſiderari nũquam, ſæpè primas partes agere, & in ſchola illa virtutis non tam diſcere, quàm docere: exemplo pręire, non ſequi. Adijcebat propria. Extenuare inedia, verberare flagellis, pungere ſetoſo cingulo corpus, publicas Regię delicias ſecretis excruciationibus macerare, aulę officia ſenſim interrumpere, & Deo vacare, in ſe altiùs deſcendere, abditos animi receſſus ſcrutari quotidiè, de cogitatis, dictis, factis ſeuerè rationẽ exigere: ſi quid delictum eſſet, de eo à Deo veniam poſtulare. Strati mollitiẽ aſperare, & ex eo ſæpe ad orandum ſurgere, & precibus ſom-

ſomnum carpere. Illud ei familiare: conceptas Diuini amoris flammas per ardentes ſuſpiriorum faculas eructare,& ſubitis oratiuncularum ictibus cælum petere, ac in ſuperos piè iaculari. Nec minus hæc illi agendi, quàm occultandi ſtudium fuit. Luminibus virtutum ſplēdore maieſtatis obſtruebat. Ingenioſa demiſſio, quę faſtum, opulentiam que obtendens ſanctimoniæ opinionem auferebat. Ecquis in habitu,& cultu regij corporis inopem, ac demiſſum animum habitare crederet? adeò inimica eſt pompa virtuti, vt ſola ſpecie obiecta ſuſpicionē vitij creet. Neſcires vtra magis placeret Deo, virtus ne, an occultatio virtutis?


CAPVT VI.

Alphonſo Regi conſanguineo inceſtis nuptijs collocatur.

CElſa in Tereſia indoles, excellens forma, eximia virtus claram in tota Hiſpania fecere. Fama excitus Rex Legionis Alphõſus habere vxorem voluit. Legatos ea de re ad Sancium patrem miſit. Nec difficile fuit obtinere. Vtriuſque partis ſtudium matrimonium expetentis effecit, vt arctiſſimæ neceſſitudinis impedimentum, aut non animaduerterint, aut non curarint. Rudis ætas, locus diſſitus, Maurorum vicinia, armorum ſtrepitus, eò profecerunt, vt excuſatiùs facerent. Iit ad innuptas nuptias

Te-

Tereſia, & contra fas in conſanguineum thalamum accepta, prolem numeroſam coniugi, ſed exlegem peperit. Vixere ambo diu concorditer, & tranquillè, vel ignorantia legis, vel vi amoris conſcientiam obtundente. Forte nihil; certè minus peccauit Tereſia ob ſexum legis inſcia, & obnoxia parentibus, quibus cùm fidem habere, tum morem gerere oportuit. Non erat virginis vix dum adultę, examinare an liceret, an deceret cõiugium, ſed indictum acceptare. Vnde enim leges vetantes ſciret? aut vt ſciret, an impedimentum ſublatum eſſet ambigere? Videtur innocenter feciſſe. Vellet ne Virgo Regia tantæ indolis, tantæque probitatis, ſcorti more vetitis inferri thalamis, tradi ſtupratori, non viro: iacere proſti-



bulum, non vxor, infami flagitio incestare thoros, adulterinos concipere, ac edere fœtus, spur~os deinceps futuros? sane vt error in nuptijs fuerit, peccató videtur absolui posse Teresia. Cuius innocentiæ fidem Deus, (vt par est credere) post mortem miraculo fecit. Repertum est eius corpus integrum, conspersum floribus, & flagrans, ac ipsos flores recentes conseruans, conditione victa naturæ; argumento: non fuisse læsam crimine mentem, cuius esset corpus inuiolatum. Pudicã illam, istud impollutum, in quod animi casti virtus transisset. Quam narrationem suo loco inserendam, hic non ineptè, opinor, occupamus.

CA-

CAPVT VII.

Teresiæ iam nuptę studia, & mores.

PActam sibi Alphonsus rex Legionis Teresiam cum ingenti dote vxorem in Regnum accepit. Forma superabat dotem. Sed vtrique virtus præstabat. Idē vitæ institutum, quod in aula patris virgo tenuerat, in viri aulam inducta coniux seruauit. Breui illam intem plū vertit. Nec dissimiles ibi suis, quas secum piè eruditas duxerat, virgines inuenit. Atque vt harum ingenia mollia sunt, tum ad accipiendam, tum deponendam doctrinam, exemplis, quæ altiùs hærent, documenta dedit. Verum nō licuit per connubium consuetas macera-

tiones corporis , & ſeueram vitæ diſciplinam retinere, quòd in poteſtate coniugis erat. Obedientiam igitur in officium duxit. Quidquid de aſperitate detraxit, addidit de meditatione Cæleſtium ; reliquit ſtudia pietatis priuata, induxit cō-munia. Exercitationes ſacras aulicarum virginum plures,& longiores fecit . Flagabat Regia odore virtutum . Iuuabat vicina æmulatio Mafaldæ ſororis,quæ paulo poſt ipsā nupſerat Henrico Primo regi Caſtellę,& iam diu apud illum habitabat. Hanc ijſdem pietatis artibus inſtitutam idem ſtudium religionis accēderat.Quò maior erat ſimilitudo indolis, & morum, eò acrior erat illa æmulandi contentio. Ac vt reges foris in depellēdis Mauros pari gloria inter ſe certabant ,
ita

ita Reginæ domi de cohibendis vitijs æquali laude contendebant: nec magis arma reges decebant, quam coli, & acus Reginas. Illa maiorem edebāt ſtrepitum: hæ certiore ictu citra tumultum hoſtes animi feriebant. Vtrobique, & domi, & foris tum à viris, tum à mulieribus trophęa erigebantur, ſed muliebria præſtabant.

CAPVT VIII.

Inceſtum matrimonium vltio diuina conſequitur.

HAec ſpecies priuatæ virtutis aliquandiu texit inceſtum. Ea ſimplices capti ciues in officio citra ſuſpicionem latentis in coniugio mali continebantur. Verum ſimul-

ſimul ac liberi naſci cœperūt, venit in mentem ſucceſſionis; & principes viros inceſſit cum religione pudor hæredis, quem niſi iuſtum, & legitimum populi ferre nō poſſint. Tunc erectæ mentes Optimatum, quaſi euigilaſſēt è ſomno; & matrimonij vitium animaduerterunt. Moniti reges, ſocer, & gener aures obturarunt. Vtrumque occæcabat amor; generum coniugis, ſocerum filiæ: ipſa diuturnitas conſcientiæ callum obduxerat: mollior ad cōſilium iuuenis coniux: durior ſenex vxoris pater. Obſtinatum vtriuſque animum ſuperi non tulerunt. Pęnas principibus debitas expetierunt à populis. A Luſitanis præcipuè, quibus pertinacior rex contigerat. Ergo moueri terra, turbari aer, nubes cogi, tonare, ardere, ful-

mina-

minare, Cælum in nimbos ruere,
rurſum æſtuare : ſata nunc torreri
ardoribus, nunc obrui imbribus;
vineæ verberari grandine; arbores
deijci ventis, fructus perire, pecu-
des tabeſcere, pecuaria interire, lo-
custarum deuolare nubes, frumenta
inſidere, ac erodere : vbique eluuio-
nes, hiatus, & labes terræ fieri; mare
intumeſcere, tempeſtates exiſtere,
naues opprimi, vectores naufragari,
annona carior fieri, fames vrgere;
& quod miſerrimum eſt, peſtilen-
tia ſæuire. Nullum genus mali ex-
cepto bello ciuili, (nam & exter-
num cum Mauris erat) fuit, cuius
per id tēpus Luſitania expers eſſet.
Id ſenes teſtari: negantes anteà ſeſe
eiuſmodi quicquam, vel vidiſſe, vel
audiſſe id eruditi cōfirmare; nūquā
talia infortunia in vllis hiſtoriarum

libris se legere meminisse. Omnes summi, medij, infimi conuenerunt atrocis alicuius delicti iustum illud suplicium esse. Tam acriter Superi aut omissam, aut neglectam Romani Pontificis authoritatem vlti fuerunt.

CAPVT IX.

Lusitani calamitatum causas incesto matrimonio attribuunt.

LVsitani, gens indole pia, genio Religiosa, iuris amans, Superùm metuens, Pontificis Romani obseruans, rati propter peccata tot malis affligi, genus delicti inquirere occœperunt. Insolentia, & grauitas incommodorum persua serat, non temporum errationes esse, sed

ſed errata morum, nec euẽta fortuita, ſed certa ſupplicia. Ea quiſque cum priuatis ſceleribus conferens, vti ſingulis fas erat culpa re ſe ſe, ita nefas damnare alios, cũ præſertim innocẽtes ſontibus vel pares, vel plures eſſent, ac priuatis delictis priuata ſupplicia, & ſolita reſpondere optimè ſcirent, nõ publica, & inſolentia. Igitur oculos altiùs tollere, & in principes intueri, ac de ijs quiddam ſiniſtrum ſuſpicari. Et quanquam arcebat reuerentia, quæ ſumma erga eos Luſitanis eſt, vicit tamen religio calamitatibus aucta. Sacræ litteræ docebant, plecti ob peccata regũ populos ſolere. Venit in mentem connubium Regiarum Virginũ, & Põtificia authoritas vel pręterita, vel contempta. Sedit hæc ſententia. Iudicarunt eam, & quidem

dem

dem iustam, pœnarum causam esse. Deum Vicarij in terris sui iniurias vindicasse. Cæli intemperie punire eos, qui non obtemperarent ei, penes quem scirent claues Cæli esse. Illa coniunctione nuptiarum dissoluta iura naturæ, ideo laxatas compages mundi, & elementa separata. Matrimonium vitio contractum corrupisse aerem, & pestilentiam induxisse. Iniquas tædas inflãmasse nubes, & fulgura, & fulmina euocasse. Illos risus, & lusus nuptiales obduxisse Cælum nubibus, & imbres è lacrymante Cęlo elicuisse; spem concipiendi ex irrito coniugio fętus, terram negando fructus sterilitate castigasse; ventos, & maria allisu nauium, proiectu merciũ, vectorum naufragio, fractionem connubialis thori, dotis proscriptio-

tionem, liberorum eiectionem significare.

CAPVT X.

De Dissoluendo connubio legati Romam mittuntur.

IMpotens calamitatum vulgus nil æqui, nil pensi habet, vicem tantummodo suam solicitũ, nullis continetur repagulis. Incendit ergo proceres questu, ira, furore: ac eò audacius, quòd obtentui habebatur religio. Pupugit commiseratio, & officij mentio Antistites sacrorum, & proceres aulæ, & magistratus reipublicæ. Deliberari de re cęptum, sed destitum, quia Legionis, & Castellę Regni populi, ad quos præcipuè spectabat causa, cùm in regna accepis-

pissent nuptas, quiescebant. Itaque nihil tum profectum. Verùm cum illi moueri cæpisent, & reges commonefacere de illicitis nuptijs cõtractis, exarsere studio religionis Lusitani, & principes omnium ordinum viri Romam certos homines totius Regni nomine miserunt: qui Romam Pontifici (is tunc erat Celestinus III.) rem deferrent. Admissos Pontifex benignè audiuit, & causa grauissima, & è re Pontificia erat. Senatum de ea sacrum haberi placuit. Decretum vt Legatus Pontificius in Hispaniam mitteretur cum mandatis, vt coacto episcoporum prouinciæ concilio, quò maior constituto fides esset, incestum illud matrimonium dirimeretur, Reges coniuges separarentur, liberis tanquam illegitimis iurè regni interdice-

diceretur. Atque, vt maior authoritas, & ſplendor legationi eſſet. Guillelmum Cardinalem legatum placuit mitti, virum domi ſplendidum, foris clarum, qui expectationem, & auditus moueret, & conſpectus ſuſtineret Eum Eduardus Nũnius nobilis ſcriptor Luſitanus à Sancto Angelo Cardinalem vocat. Cuius nos in tabularijs per id tempus tituli, Romæ nullum reperire, potuimus. Fides penes Eduardum ſit; nec mirum quòd in Angelo hallucinemur, qui vel non viſus præterit, vel aliena ſpecie obiecta viſus, aciem videntis ſolet obtundere.

CAPVT XI.

Coacto super ea re Concilio aduocati regij suas partes agunt.

SAlmanticæ, in altrice litterarum vrbe, Lusitaniæ, & Legionis Episcopi conuenerunt. Aderãt procuratores regij qui matrimonij ius defenderent. Præside Cardinali res acta; hic statum causæ proponi iussit. Dixere primùm Aduocati secundùm leges matrimonium factum: nullum ei inesse vitium posse. Licere per ius ciuile patrueliũ, & consobrinorum coniugia. Sic legem Codicis, sic instituta iubere. Ita Romanos, ita Græcos (vt barbaros omitterent) & duxisse, & locasse consanguineas. Remotiorem esse

eum gradum, quàm vt vetari poſſet. Iudæis per legem diuinam eſſe permiſſum; imò & fratrum, & ſororum licitum aliquando fuiſſe cõnubium. Saltem inter eos, qui altero ſolum parente nati eſſent; idque Abrahæ, & ſaræ exemplo perſuadere conabantur. Minus tamen velle ſe; nec iſta matrimonia recipere pati ve, conſobrinorum tantùm aſſerere; abs re eſse ſecurim iuris in ramos tam procul à radice arboris remotos inijcere. Quatuor gradus diſtare filios fratrum à ſtipite, ac ita leges priſcas ſanxiſse, quas Iuſtinianus, & ſequentes Imperatores confirmaſsent; ijs communem conſenſum gentium acceſſiſse. Quod ſi ius Pontificium aliter numerauit gradus, inſolenter, & tantùm verbo tenus feciſse: abſtuliſse vocabulum,

rem ſanguinis reliquiſse. Nuſquam extare leges, quibus caueretur, nequis intra illum gradum matrimonium iniret. Sin eas aduerſarij proferrent, à ſe refutatum iri. Atque, vt nõnullæ forent, eas obſoleuiſse. Nec vt vigerent, poſse antiqua ſtatuta conuelli, aut infirmàri. Matrimonium regum ſuorum ſtare nixum iure humano, diuinoque. Rem eſse plenam periculi puros inceſtare thalamos, diſsoluere iura connubij, auellere vxorem à complexu viri, filios à matris gremio abripere, regiam prolem ab aditu hæreditatis excludere. Quid amplius à Mauris hoſtibus pati Chriſtianos reges potuiſse?

CAPVT XII.

Pontificij uas ſtuentur.

HIs Pontificij ex aduerſo reſpondere. Chriſtianis non attendendum quid cum Iudæis, & Gentibus commune eſset. Populo ab illa fæce ſegregato puriora ſectanda. Gentibus ob ignorantiam, Iudæis ob duritiem pleraque pærmiſsa, quę vitare Chriſtianos oporteat; nec omnia quæ patroni regiæ cauſæ aſsumerent vera eſse. Saram quippe Abrahæ non ſororem, ſed conſobrinam fuiſse. Connubij leges vagas Chriſtum reſtrinxiſse, cuius vicarios Pontifices, vt ſeruarent pręcepta, gradus conſanguinitatis, & affinitatis certiùs ſtatuiſse, & exa-

ctiùs numerasse. Fratrum, & sororum filios in secundo collocasse, nō ad quartum reiecisse. Nec ijs tantum, sed etiam alijs intra septem interdictum esse coniugium. Eum iam inde ab initio Ecclesiæ morem viguisse. Hanc, & quid non liceat, & quid non deceat, spectare solitam esse. Extare Canonem Iulij I. qui ad septimum vsque gradum interdictum extendat. Id renouasse Gregorium Magnum cōcepto edicto. Recepisse Germaniam, & Galliam ex Concilijs Vvormatiensi, Agathensi, Lugdunensi, Cabilonensi constare. Quin etiam Hispaniam ante Gregorij ætatem illius consuetudinis obseruantem fuisse Concilium Toletanum secundum perspicuè testari: eiusdem Ambrosium, & Augustinum idoneos esse

auto-

autores: Alexandrum Secundum, ante sesqui seculum in Concilio Lateranensi sua illud impedimentum constitutione sanxisse. Potentius esse ius Pontificium legibus ciuilibus. Has per illud corrigi, vbi deuiarent ab æquo suaderi exemplo præscriptionis, quam cum mala fide currere leges sinerent, canones obstiterũt ne curreret; nuptias illas quod à consobrinis regibus contractæ fuerant, innuptas extitisse; qua vna re interposita ritè fieri possent, id est authoritate Pontificia, eam defuisse. Nullam inferri iniuriam matrimonio, quod nullum fuisset, nec auelli coniuges, qui contra ius fas que coijssent, nec exhæredari liberos, qui spurij nati fuissẽt. Rectè expeti pænas in eos, qui iura sacra violassent, & authoritatem Ponti-

ficam neglexiſsent;Quod attinebat ad ſcomma à Mauris petitum,illud ſe reponere: præſtare pati à Mauris, quàm cum illis peruersè agere.

CAPVT XIII.

Matrimonium de ſententia Patrum dirimitur, Tereſia in Luſitaniam redit.

HIs in vtramque partem diſputatis,& maturè diſcuſſis,decreta à Patribus diſceſſio, eaque regibus indicta. Qua re vtrique vulnus inflictum,ſed multò vxori grauius,quæ futuri connubij ſpe cadebat; ſed vicit dolorem cum dedecore coniunctum pietas in Deum, & obſeruantia erga Romanum Pōtificem, quæ Luſitanis principibus quaſi

quaſi ingenita abinitio regni viguit, hodieque viget. Vixdum prolata ſententia, Aula Tereſia exijt, nec thoro ſolum deinceps, ſed etiã domo, quò procul eſset à peccato, & ſuſpicione, abſtinuit. Omnibus ad Deum curis conuerſis de cælibatu cogitauit. Quos tres ediderat liberos apud regem patrem relinquere maluit, quàm ſecum in Luſitaniam, quò concedebat, ducere; nequid in eos maternæ ſolicitudinis deriuaret, eò que à Cæleſtium contemplatione auocaretetur. Conimbricæ regia in vrbe diuerſorium habuit, quaſi deliberatura de domicilio. Florens ætas, abundantia opum, oppidorum frequentia, quibus à rege Sancio patre donata fuerat, recens à maieſtate ſplendor, non minutus dedecore, ſed auctus pietate, ſuſpicio-

cionem fecerant ſuis, & alienis Tereſiam regio more deinceps victuram. Sed ſanctiora ſecum illa conſilia agitabat. Inſederat animo ſpecies quædam Cæleſtis, quæ obiecta oculis mentis, miros ſui excitabat amores. Molliorem ad diuinas impreſſiones acceptum vulnus reddiderat. Fingendam itaque ſe Deo, vti ceram præbuit. Aulam, & pompam pertęſa fugiendi in ſolitudinem nobilem impetum cœpit. Addidere ſtimulos tum noua à fratre Alphonſo rege orta calamitas, tum opportuna à Sancia ſorore ad ſeceſsum exhortatio, quæ paulo ante exagitata ab eodem fratre, vrbe regia, & Aula relicta Ierabricā (vulgò Alen. querium) ſuæ ditionis remotum oppidum confugerat, ibique Deo vacare cœperat.

CAPVT XIV.

Rex Alponſus Sorores ſpoliare patrimonio conatur.

SAncius I. Alphonſi II. pater moriens filium regni hæredē reliquerat; verùm quòd liberis ſtirpis femineæ abundabat, earum vicem anxius, certa quædam oppida excepit, quæ ijs teſtamento legauit. Quod quidē iure facere potuit: cùm occupata à Mauris Hiſpania, neceſſe eſset ex eorum manibus quæ ipſi vi vſurparant, ocupare armis: quare quidquid accedebat regno non tā poſtliminiò redibat, quàm virtute bellica trahebatur. Fas itaque regi Sancio fuit ex ijs, quas occupauerat prouincijs, partes decerpere, & liberis

beris donare , Tereſiæ imprimis , quæ natu maxima plura exigebat: ſecundùm eam Mafaldæ conſuluit, poſteà Sanciæ. His ſua ſingulis oppida,& prædia , prout quæque præibat ætate,aſſignauit: ex his dotem profectitiam ſatis amplam ad regẽ Legionis Alponſum coniugem Tereſia ſecum adduxerat; æquam ferme Mafalda ad Henricum. Sanciam cælibem futuram minima pars,ſed idonea tamen,ſecuta. Angebant hęc fratrem Alphonſum regem anguſtiùs regnantem , quàm vellet ; eòque magis quòd circunſtabant Mauri , à quibus metuebat . Viſum eſt illi regni fines oculis metienti,plura poſſideri à ſororibus , quàm par eſſet. Detrahi regno,quæ illis acceſſerant . At quod ille vertebat iniuriæ ,vitium animi erat; imbellis na-

tura,

tura, & ad belli munia piger, domi ſedere, quàm foris pugnare malebat. Craſſum corpus hebetabat militarem virtutem: pinguis aqualiculus ſpiritus igneos opprimebat: ex ignauia auaritia orta. Adijcere cæpit oculos ad ſororum oppida, & liuor nobiliora repræſentauit. Inceſſit ei cupido ea auferendi. Vt ſpeciem honeſtatis obtenderet, iactabat: maius illud, quam pro feminis, imperium eſſe: traderent ſibi oppida: melioribus à ſe reditibus compenſatum iri; nihil tamen mouere auſus eſt, quandiu matrimonia cum Alphõſo, & Henrico ſteterunt, ob metum maritorum; poſtquam dirempta vidit, & reginas in regnũ reuerſas, rem aggreſſus eſt. Pacti primùm, & conuenti mentionem iniecit, deinde preces, & fraudes ad.

hi-

hibuit honesti officio tectas. Suboluit astus sororibus. Negarunt, quæ iure patrimonij, dotisquè posside-bant, ea regi fratri tradere. Iret porrò ille, bellum inferret Mauris, ab his iniustè possessa vt adimeret, armis augeret imperium. Sic auum, sic patrem fecisse, qui belligerando fusis, & pulsis Mauris, regni fines protulerunt; hos subigendos sibi esse, non sorores spoliandas.

CAPVT XV.

Alphonsus bellum infert sororibus, sed frustra.

QVò potentiùs imperant reges, eò impotentiores affectuum sunt, Iræ imprimis, & cupiditatis: nam quod semel concupiscunt, eo

vt fruantur, omnia quæ ſibi obſtant vincula, & repagula irati perfringere moliuntur. Igitur Alphonſus, quod artibus elicere non potuit, armis extorquere decreuit. In Tereſiam quæ plura, & viciniora poſſidebat, maiore vi & mole itum. Educto in campum exexcitu vaſtari agri, abduci greges, vexari agreſtes, circunſideri oppida cœperunt Sed Thereſia virilis animi mulier, & patri, quam fratri ſimilior ſtrenuè ſe oppoſuit, & collecta ſuorum clientium, quos amor in reginam, odium in Regem incitabat, manu, hoſtium impetum ſuſtinuit, & repreſſit. Iuuabat quanquam ſtudijs magis, quàm viribus princeps Petrus, qui Alphonſo fratri auaritiam, & inhumanitatem exprobabat. Verum eo nihil profecit, imò Rex obiur-

iurgationibus obstinatior factus sæuire vehcmentiùs cæpit. Itaque Petrus sibi metuens clàm regno excessit, & in Africam transmisit, & ad regem Marrochiorum, quocum à maioribus fædus ictum, diuertit, apud quem mollius, & pacatius, quàm apud fratrem hospitium habuit. Eius discessu irritatus Alphōsus bellum accendit. Iam omnes sorores palam oppugnabantur, Teresia, Mafalda, Sancia. Proprio quæque occupata bello iuuare aliam non poterat. Malè sustinentibus impetum, & vires Alphonsi, visum Romam ad Pontificem mittere, qui de periculo monerent, & litterarum subsidium impetrarent, quibus Rex alioqui religiosus, & pius ab armis discederet. Interim acriter Rex vrgebat, cui mèlius paratæ Te-

resia,

resia,& Mafalda resistebant. Maius erat Sanciæ periculum,quòd minores,& imbecilliores copias habebat. Magna vi Ierabricam oppugnabat Alphõsus, quo illa oppido tenebatur:verum minimè consternata oppidanos ad defensionem accendit, quibus aderat cibarijs,numis,armis, pręsẽtia,ac precibus præcipuè:quarũ tãta vis fuit, vt cùm pauci defensores essent,strenuè tamen,& sustinerent hostem,& arcerent: adeo vt semel cùm arctius obsiderentur, erumperent, & regias copias fugarent, orante interim pro suis Sancia, cui illam victoriam oppidani acceptam ferebant: exinde lenta oppugnatio fuit. Feliciori adhuc euentu Teresia pugnauit cum regijs, quòd iustam ei opem tulit Alphonsus olim coniux, qui memor



D tha-

thalami, memor prolis, filium cum ingentibus copijs in Lusitaniam misit, & Regem Alphonsum ab oppugnandis oppidis alienis ad sua tuenda compulit. Non fregit tamen inuictum animum Lusitani, qui conuersa in Legionensem ira, in eius regnum irrumpere parabat. Ac irrumperet nisi tempore aduenissent Roma nuntij cum litteris Innocentij III. quæ palàm lectæ, Alphonsum, intentato censuræ fulmine, nisi arma poneret; terruerunt. Reuerentia litterarum, ac metu Cęlestis iræ, reduxit exercitum, & bellum omisit. Pax secuta, non tam formidinis belli ab hoste illati, quàm incussæ à Pontifice religionis beneficium fuit.

CAPVT XVI.

Teresia de religiosa professione Loruaniedenda cogitat.

EXplicata bellicis terroribus Teresia, quod antea præceperat animo, repræsentare studuit: Rebus humanis nuntium remittere, seque in Cænobium cum virginibus Deo dicatis includere, ibique pietatis, & religionis opera exercere. Id tum è re sua, tum publica esse ducebat. Intellecturum deinum fratrē regem, nolle se vel alienare oppida, vel in vsus profanos reditus conuertere, sed melius collocare, & intra regnum Deo addicere. Re deliberata locum cœpit circūspicere. Erat haud procul Conimbrica, vbi

nata priscum monachorum instituti sancti Benedicti cænobium, in ima valle situm, septum altissimis montibus ad pium secessum opportunum. Incertum quo anno cõditum. Illud constat esse antiquissimum, & vel sancti Benedicti ætate, vel paulò post ædificatum. Ibi monachi ex illius instituto sanctissimi multis anteà vixere seculis, & fama est quo tempore Mauri Hispanias obtinebant, & circumquaque fusi habitabant, sacrum eum locum habuisse, & monachos in eo degentes nihil turbasse, & arbitratu suo, ac legibus viuere permisisse. Opera, & labore manuũ vitam tolerabant, paruo contenti habitabant angustè. Raro inde, nec nisi Christianorum latentium causa exibant, quibus salutis præsidia ministrabant: assueti diui-

diuinis minus curabant humana: intra viſcera rupium educati aſperiores euaſerant, ſed eò ad pietatis officia molliores. Quò remotiores à luce, eò clarius fulgebant. Mauris non modò chari, ſed etiam venerabiles erant. Tantùm ſanctitatis opinio valet, vt vel barbarorum animos conciliet, & in admirationem ſui rapiat. Excutientibus poſteà Maurorum iugum Chriſtianis, & vſurpatam ditionem vindicantibus, & propiùs Conimbricam inferentibus arma, multa horum in ſuos monachorum officia extiterunt. Eorum ſæpe monitu euitatæ inſidiæ, eorum indicijs proditæ Maurorum copiæ, eorum ſubſidio propulſata fames, eorum ope ſuperati hoſtes. In expugnatione Conimbricæ, inſignis, & multiplex eorum

opera fuit. Quippe Ferdinando Regi obsidenti vrbem præstò fuerunt armis, pecuniæ, commeatu, eumque tædio longæ obsidionis languentem precibus, & exhortationibus excitarunt, ac pene diffidentem confirmarunt in proposito; nec destiterunt, donec expugnata vrbs in potestatem regis venit, quæ tanti ad belli summam momenti erat, vt sanctus Apostolus Iacobus visus fuerit contra Mauros equo pugnare, & ijs fractis, & pulsis vrbem inire, & portas reserare, & claues Ferdinando Regi tradere.

CAPVT XVII.

Monachis, vt vacuum ſibi relinquant monaſterium, rationibus perſuadet.

HAEC celebre apud omnes cænobium illud reddiderãt; & quanquam recuperata Conimbrica monachis ſancti Benedicti alia monaſteria erecta, & aſſignata, numquam tamen iſtud Loruani derelictum. Amor & reuerentia loco addixerat. Pauci habitabant, nec monaſterium plurium capax erat. Certior de hoc facta Tereſia, cui ſitus placuiſſet, decreuit eò cum Aulicis virginibus & alijs quæ ſe ſe obtulerant, migrare, ibique inſtaurato, & conformato ad Par-

thenonis formam ædificio, monasterium capacius condere. Sed mouendi loco prius Fratres erant, qui ægrè se inde sinebant auelli, quanquam recepisset ijs regina, commodiorem se, ac opportuniorem ad habitandum locum daturam.

AEgros animi, ac repugnantes acciri ad se iussit Theresia, & vt persuaderet abitum, hunc in modum ad eos locuta fertur. *Qui rebus humanis nuntium remiserunt, eos minime decet sic affigi locis, perinde ac in ijs radices egerint, & quorum mentes versantur in superis, nefas est ijs corpora spatijs circunscribere. Nihil interest cuius quisque rei amore teneatur. Indignum certè est viris religiosis, domibus tanquam nidis, includi: Benedictinis præsertim, quorum auctor Benedictus Maurum misit in Galliam, & Placi-*

dum

dum in Siciliam: ipse Cassinatem montem seminarium externorum iuuenum instituit, vt inde rursus eruditos eos in diuersas prouincias emitteret. Nati vos estis Reipublicæ Christianæ: prodite in lucem, in commune consulite. Dum Mauri dominabantur, vosque vndique circumstabant, opus erat latebris ad tutamen: nunc ijs victis, & exactis, nec latendi vlla est causa, & magna exeundi ad Christianos populos operâ vestra iuuandos. At delectant nos, inquitis, hæ rupes, hæc antra quibus assueuimus. Pudeat vos eius rationis, quam feræ, si loquerentur, afferrent. Nec vos solitarij seorsim, sed in Cœnobio coniuncti viuitis. Itaque nec Eremitæ estis, nec Cœnobitæ. Quid? quod frustra recondi vos inter arctorum montium claustra iactatis, cum ea quotidie (idq; fit sæpius) cùm necessitas

ſitas vrget exeundi in vrbem, & oppida, tranſiliatis: ſic illa perpetua iugorum corona, quæ vos cingit naturę opus eſt, non Religionis. Sinite, quæſito me cum meis ſodalibus eò migrare, vnde ſemel ingreſſæ numquam exibimus. Liberabimus locum à nota, & vos à noxa. Ille ſeceſſus debetur nobis fœminis Deo dicatis, quæ conſuetudinem, & conſpectum virorum vitamus. Illa nos detent clauſtra numquam egreſſuras; in his ſpeluncis ita viuemus, vt quaſi viuæ ſepeliamur; parum diſtat ſpelunca viuæ à ſepultura mortuæ. Datam ſemel fidem loco ſeruabimus; extra illum ne mortuæ quidem efferemur. Nec ego vos aut eijcio, aut emitto, cœnobium alibi ædificatum tribuo, quò migretis, in quo & veſtræ priuatæ, & communi omnium ſaluti conſulatis.

CAPVT XVIII.

Descriptio vallis Loruani, & monasterij in eo siti.

ET iubere poterat Theresia quod impetrare malebat; & Monachis placuit dare precariò, quod poterat extorqueri. Igitur conuentum de migratione; cum præsertim idoneum opportuno loco domicilium migrantibus assignaretur. Loruanum deinceps regina cogitauit. Locus is est à frequentia remotus nouem milliaria Conimbrica distans, aditu asper, accessu difficilis: via omnis montana, & syluosa, saltibus intercisa; equites iuxtà terret, ac pedites. Post longos circuitus, & flexuosos meatus

tus cùm emensum inter putas, hæres dubius ad metam ne perueniris, an ad caput redieris? Confecta quippe modica planitie sistitur in arduo supercilio montis, vnde præceps incipit saltus, per quem in decliuia fit descensus, nec inde vllus oppidi aspectus, spes ve adeũdi. Occurrunt intuenti circumiecti mõtes scalarum more per gradus ab imo sursum ascendentes, maximam partem inuij, certis in locis prꝑrupti, ac præcisi. Nusquam mapalia, nec tauris quidem, caprisue receptus. Demittenti in imum oculos multæ, & cauæ valles continenti ductu, sed inęquali se obijciunt, per quas nulla possis indagare ad oppidum vestigia: quod in fundo illius altitudinis iacet quasi sepultum. Itineris ad ipsum oculi

du-

duces esse non possunt. Incedentes deducunt viȩ obliquæ, & sinuosis flexibus tortuosȩ, quæ in se recurrentes postquàm in longum anfractum porriguntur, iterum eò vnde cœperant paruo compendio redire videntur, ac iter faciẽtes deludunt. Sed aliter tutò iri non poterat. Duorum milliarium descensus est, nec nisi medio spatio confecto culmina tectorum monasterij apparent: quȩ nec eminerent, nisi ȩdificij moles eò creuisset, vt cum illam modica vallis non caperet, necesse fuerit mõtem moliri, & subactum cellis accipiendis opportunum reddere. At non diuturnus, nec constans ille aspectus est; breui desinit, nam deorsum tendentes destituit, insinuantibus sese in depressiores cauitates vijs, vnde suspectus ad altiora ca-

cumina esse non potest. Per abstrusos sinus, & intima viscera montiũ incedendum, donec ad inferne fauces vallis venias, quæ inter maceries siluosas anguntur, & malignũ tramitem, ceu viarum spiraculum ad oppidulum interius relinquunt. Post laxari spatia, & aperiri planities, vt inter montes angusta, sed iusta pro loco. Hic situs monasterij, & pagi, qui illius quędam quasi appendix est: quòd totus constat famulis, & ancillis monialium. In medio forum patet, intra obliquitatem rotundum, pro angustijs loci amplum. Ad lęuam monasterium extenditur in dexteram porrectum (hemi ciclo simile,) structura inæquali, vt in pręrupto, sed magnifica ob regios sumptus, & priuatos regijs pares. Templum, &

Ode-

Odeum ſatis amplum, & mirè ornatum. Pergula continuato ductu ad conuictum in iuſtam longitudinem tenditur, ſuis diſtincta cellis pro numero ſororum; ducentæ ſermè ſunt parthenicæ, quæ nigro vtuntur velamine; viginti minoris notę, quæ album geſtant: præter turbam ancillarum domi ſeruientium. Trecētorum itaque, plus minus, numerum conficiunt. Intus præclara Gynæçea, idoneæ officinę, impluuia, cauędia, porticus, Xyſti, inambulatiunculæ, horti, viridaria, & multa ſinodijs deſtinata loca: vt mirum ſit in tanta aſperitate montium tam molliter ędificationem acceptam. Augent magnificentiam, & pulchritudinem ędificij priuatæ illuſtrium ſanctimonialium ędes, intra ſepta monaſte-

ſterij,ſed extra communem pergulam eminentes, quas ſingulæ facta ad id à ſuperioribus poteſtate, ſuis ſumptibus excitarunt;variæ, modicis interuallis diſiunctę, prout montium ferebat aſperitas, ſaltuatim poſitę. Fortuito ſitu pares magis, quam ſimiles,& ipſa inæqualitate ſpectabiles. Sunt quibus latera collium intergerinos parietes efficiunt. Alias ſinuoſa viſcera excipiunt in gremium, & fouent. Alię rupibus adhęrent, & tanquam nidi affiguntur extra Parthenonem. Ingens domus ad dexteram intrantium viſitur, in domicilium Fratribus Ciſtercienſibus diui Bernardi inſtituti,qui res diuinas procurant,& humanis cõſulunt,& hoſpitium exterorum eò confluentium aſſignata. Cæterùm ędes circum-

cumiectę, rarę, anguſtæ, vti paganorum, ſolum breue ad colendum, & ſerendum pauca ſuppeditat, prę-ter olera, quorum magna vis eſt. Aliunde victus magna ex parte petendus. Ingens aquæ dulcis & ſalubris copia intra monaſterij ſepta exoritur, quæ foras ad potum, & vſum oppidanorum largiter emanat, & profluentem format, ex quo multa fiunt aquarum diuortia. Exitus idem qui aditus, vt qui ſemel in ſaltum intrat, alia, niſi qua intrauit, exire via, non poſſit. Qui locum attentè ex alto deſpiciat, fundum hiatus deſidentis in voraginem terræ exiſtimet; qui ex imo ſuſpiciat, obrutum iri ſe impendentium ruina montium putet. Nemo non locum comentationem mortis dixerit. Exiguæ ibi ſunt partes diei,

maiores occupat nox. Solis præte-reuntis specie, ceu angustias loci in-dignante. Eas vlciscitur pluuijs, tot enim imbres eò decidunt, vt ille verè locum norit, qui *Cœli impluuium* appellauit.

CAPVT XIX.

Teresia se, ac socias ad migrandum Loruanum accingit.

HVius vallis cùm infrequentior, & horridior erat, ab ijs, qui eam viderant apud Teresiam facta descriptio, mirè affecit animum iam diu pertæsum Aulæ, fastusque, & anhelantem Cęlestia. Vbi vacuum esse accepit, exarsit desiderio habitandi. Id moram inijciebat properanti, quòd virorum domicilium

lium minus erat aptum ad virginum monaſterium. Sed miſſis architectis, & operis breui effecit, vt locus idoneam Parthenonis formã reciperet. Illum cùm inſtrui iuſiſſet ſacra, & domeſtica ſupellectili, & rebus ad vſum vitæ neceſſarijs, cœpit circunſpicere, quas comites ſecũ adduceret. Difficilius fuit èmultis, quæ ſe ſe ei offerebant vllas excludere, quàm eligere. Aulicas plures iam pridem ſacris meditationibus, & exercitationidus aſſuetas, ſocias habere voluit. His plerę que ex primaria nobilitate adiunctæ. Admiſſæ aliæ inferioris ordinis (conuerſas dicunt) quæ minora munia obirent. Seruarum iugens turba fuit. Simul paratas habuit, de inſtituto deliberauit. Recens erat, & celebris in Luſitania ſancti Bernardi memo-

ria, cuius præclara in Reges (quorum propinquus fuisse fertur)extiterunt officia , in omnium animis impressa. Auxerat affectum fama viri virtutibus, doctrinis, operibus admirandi. Respondebat famæ parentis filiorum religio , & pietas , quorum multa, & frequentia erant in Lusitania cænobia , plena viris sanctimonia, sapientiaque insignibus. Ab his instituti sui rationes petiuit Teresia , & erant ab initio ad monialium mores , & vitã in Gratiam Vmbelinæ sororis à diuo Bernardo fratre conformatæ. Has amplecti regina voluit, quòd ingenio loci illa viuendi ratio congruebat. Aequum item videbatur , vt quæ in locum monachorum Benedictini ordinis, à quo Cisterciensis, & Clarauallensis familia deflexum ad aspe-

aſperitatem inſtitutum ſumpſerāt, ſuccedebant, non multum ab ijs norma, & ordine vitę diſtarent. Porrò Tereſia obtinuerat antè à Romano Pontifice facultatem deferēdi ſecum aliquot eiuſdem ordinis sāctimoniales ſtudiosè à ſe conquiſitas, quas haberet màgiſtras inſtituti, quod amplexum, & profeſſum ibat. Has hoc ipſo tempore monuit adeſſent ſimul profecturas, deque eo regem fratrem fecerat certiorem. Ijs ergò è diuerſis monaſterijs collectis, & rebus voluntate regis fratris compoſitis, ad eum Tereſia vale dicendi gratia, ſtipata ſororibus, adijt. Seorſum à turba rex, remotiſque arbitris eas excepit; cūque inter ſe ſalutaſſent interiores domus intrarunt, vbi ſoror Blanca ætate minor prope reginam

in ginæceo ad extremum ædium ſeparata habitabat, quę ſimul ac reginam ſorórem eo habitu, & comitatu aſpexit, primùm attonita conticuit, mox ad ſe reuerſa collacrymauit, & ſenſu tacta religionis in amplexum ſororis ruit, & apprehenſa manu, regem primùm officiosè reuerita, ſic viſa eſt loqui.

CAPVT XX.

Pia Blancæ cum Tereſia, quòd ſe præteritam vidit, expoſtulatio.

HEm! Domina ſoror, cælatum me tuum hoc conſilium tenuiſti, vt à ſocietate operis excluderes. Næ: tu iſta ergà Deum pietate, crudelis in me exiſtis. An iuſtum exiſtimas te de-

deſerentem Aulam, quæ regina es, me, quæ paruula, & nullius pene ſum numeri, in Aula relinquere. Vin, vt aſſueſcam delicijs, quas tu auerſaris? Antequã tu eas contempſiſſes excuſare me poſſem, ſi amplecterer; nunc quæ verecundia erit, cum eas tu negligis, me amplexari? malè famæ conſulis meæ, cùm manere permittis inter illecebras, quas tu fugis. Videbor quippe approbare quæ non probaſti. Si conſilij tui participem me ob meam, in qua ſum, ætatulam facere noluiſti, quòd expers eram prudentiæ ad deliberandum; nunc re deliberata compotem me voti, ac exempli ſociam facere debuiſti. Imitationis ſum capax, quæ non eram apta conſilio. Præiudicata mihi eſt authoritas tua: optimum factu duco, quidquid te videro facientem. Ibo pedibus in tuam ſententiam, quando mihi non eſt locus ferendi:

suffragia. Quæ inuitasti alienas, sororem te rogantem ne sperne. Quòd sum paruula et inexperta rerum caducarum, eò minus morabor ignota. Solitudinem quæris, hanc ego in Palatio colui. Mutabo locum, non morem. Haud graue tibi onus ero, quæ desiderijs euolo; sequar te non æquis corporis passibus, sed paribus animi affectibus. Adhærebo lateri tuo paruula, vti discipula: veniam in partem oneris adulta, vti adiutrix. Si tu post nuptias, ad Christi thalamos properas, quì me innuptam ab ijs arcebis? Dudum ego eum mihi sponsum destinaui. Age mea soror pronubam, & flammeum capiti inducito. Et hic extenta ad Christum crucifixum (qui prope erat) manu, ipsum apprehẽdens impressit ori, & immersit in sinum.) *Ecce, inquiens, quem eligo sponsum, huic me de voueo: Citius*

me halitus deficiet, quã ab eius complexu auellar. Hoc ego duce aut te præibo, si moraris, soror; aut sequar si properas. Tu vero (ad regem conuersa) *Rex potentissime, hoc mihi, oro, non impedias iter, amoris in sororem memor, non potestatis in subditam. Sine comitari sororem, quæ mater mihi deinceps futura est. Liberabo te hac, quã erga me geris, paterna cura. In Christi familiam transeo, ille me suscipit alendam, tuendam, regendam. Vide quanto sit tibi honori futurum, quòd de manu tua Christo me tradis, & illum sponsorem appellas. Ne meam sis vicem anxius, pro qua sua vulnera Christus oppignerauit Patri. Dotem ab illo sanguinis accipio, quem mihi gratis impendit.* Erumpebant omnibus lacrymę, nec sibi rex temperare poterat, Itaque precibus Blancæ

victus

victus cessit, eamque de manu sua Teresiæ tradidit. Quæ attonitę similis puellam auscultabat, & vbi vidit inflãmari, exarsit desiderio eã secum ducendi. Quòd prẹuideret magno sibi adiumento, & socijs incitamento futuram.

CAPVT XXI.

Aula excedit, & in monasterium includitur.

ILluxit optata virginibus dies, qua & regiæ valedicerẽt, & spei blandienti renuntiarent. Præmiserant sarcinas cum paupere supellectili, nisi quod pretiosa quædam immiscuerant, quæ altaribus ornamento forent. Profana & quæ ad mundum muliebrem spectabãt re-

reliquerunt apud Aulicas, quæ reginæ herebant, quarum plurimę inuitè accipiebant, quòd dolentius ferrent ſpolijs conſecrantium ſe Deo virginum locupletari. Inter omnes Tereſia vultu hilarior, & corpore celſior eminere, vrgere profectionem, colligere in cætum abituras, has hortari, manentes ſolari, dona iam ex antè ad id pręparata largiri, & lacrymas detergere, & deſiderijs moderari. Aegrè tandem auulſa diſceſſit, ſecumque plura vota, quam ſocias tulit. Carpentis confecta via, donec ad ſupercilium montis ventum, exinde propter decliuia iumentis vſę. Initio ſaltus, quà dimitti in imam vallem cœperunt, pauor quidam religioſus inceſſit omnes, cogitantes ire ſe eò loci, vbi ſolitariæ futuræ eſſent, vbi

Deo vacandum, & ſuperis ſtudendum: propiores ſe deinceps immortalibus quàm mortalibus fore: Ire ſepultum ſe viuas, vt poſt mortem immortales reſurgerent. Hæc ſecum agitantes ad Monaſterium venerunt. Prima omnium Tereſia Templum rectà contendens, antequam ingrederetur, oſculum veſtibulo cum lacrymis impreſſit; ſecuta Blanca ſoror cum reliquis, & quà ſacratius erat iter, monaſterium ſunt ingreſſæ. Præſtolabantur aduentui Monachi Sancti Bernardi fratres, qui ex inſtituto eas cũ cantu, & cereis, & aqua ſalubri exceperunt. Exciuerat fama rei complures,, & Dynaſtas, & ciues, qui attonitis ſimiles aderant. Creuit ſtupor cum paulò poſt viderunt in adytis propè ſacrarium re-

gi-

ginam caput ante Præſulem abie-
cto ornatu demittentem,& admiſ-
ſo in regiam comam forfice, capil-
los deponentem. Tunc collacry-
mari omnes, ſubridente modeſtè
Tereſia, & Blanca cæteriſque vir-
ginibus, exemplum Tereſiæ ala-
criter ſequentibus. Præciſa coma
velatæ omnes flammeo virginali.
Abiectus veſtitus profanus, & ha-
bitus religioſus indutus: moniales,
& ſorores Tereſiæ vnà extiterunt,
ſublato maieſtatis diſcrimine, pa-
res deinceps futuræ. Silentium hoc
ſecutum, & preces: deinde ordi-
ne in clauſtra receperunt ſeſe,& in-
tuentium oculis ſubduxerunt. Hos
illico nubes mæroris obduxit, quæ
paulò poſt ſoluta in lacrymas, con-
ſpectum adſtantibus eripuit, & al-
tiùs in ſe intrare multos compulit,

ſe-

ſecumque de contemptu mundi, & animi ſalute diſputare. Illud mirum nullam virginum fuiſſe, quæ aut relictos conſanguineos reſpiceret, aut abſentes ſaluere iuberet. Nouæ cogitationes, nobiliores curę occupauerant animos, iam diuinis rebus addictos, abſtractos ab humanis, perinde ac mortalia nihil ad ſe attinerent. Certè rei, vt erat geſta, euentus in Aula, in circulis à nonnullis, qui adfuerant, narratus magnos vbique clamores fecit, & variè, prout erant ad ſenſum pietatis commoti, animos omnium affecit, Summa fuit laudare Tereſiam, quæ dux & autor ſibi, & ſocijs ad tam præclarũ facinus fuiſſet, & veſtigia ſequi volentibus ſanctè impreſsa reliquiſſet.

CA-

CAPVT XXII.

Monaſterio præeſt, & monalium curam gerit.

NOuum amplexa vitæ genus Tereſia cum videret omniũ ad ſe monialium curam pertinere, primùm ſtatuit partiri munera, & ſelectis è numero grandioribus natu, ſuum cuique pro genio aſſignare: vt ordo, qui anima huiuſcemodi conuentuum eſſe ſolet, exactè ſeruaretur. Dimenſa eſt animo ſitum monaſterij, partes quibus conſtabat, mente percurrit, moniales quibus aſſignatæ occupationes erãt, mente notauit, eaſque cogitatione diuiſit, ac ſepoſuit, vt quid ſingulis adminiſtrandum eſſet, attenderet.

ret. Id vt seorsim expendendo cõstit, ad personas, quas ijs officijs præficeret, curam conuertit; cumque sibi eas ob oculos mentis proposuisset, & cum muneribus obeundis contulisset, ac respondere genium præfecturis coniectando nosset, destinare cuique officium suum cœpit, vt initia administrandæ sacra illius reipublicæ fausta essent. Permagni quippe interesse ad sũmam putabat rerum principia. Igitur sacrarũ cura potissima fuit. Ea triplex futura erat. In Templo, in odeo, in sacello. Templo qua parte interius erat, vnam præfecit, quæ necessaria ad rem diuinam procuraret, & quidquid ad ornatũ altarium spectaret, abundè sufficeret, & ijs qui foris in Ecclesia mysteria obire, ijsdemque operam dare

re

re debebant, quæ opus eſſent miniſtraret. Aeditima ea vulgò dicitur. Odeo aliam præpoſuit, quæ ſolemnis cantus, precumque publicarum iuxta pſalterij normas rationem preſcriberet. Huius erat libros muſicos curare, penſa horaria diſtribuere, pſalteria deſignare. Sacelli curam alij mandauit: cui iniũctum ſorores ſtatis temporibus ad priuatas meditationes congregare, & precatiunculas ſecretas concipere, & numeratò ad globulorum numerum reddere, familiari de rebus diuinis ſermone ad amorem Dei excitare. Gynæceo vbi locus muliebri opificio futurus erat, peritam eius artis feminam præeſſe voluit, quæ iuuẽculas horis ſucciſiuis acu pingere, lina carpere, fila deducere, & cętera eiuſmodi doceret,

ret, quarum labor, & domui ſupel. lectilem, & altaribus ornamenta ſuppeditaret. Cæteris quæ ad curam corporis, rem cibariam, & cuſtodiam domus, pertinebant, minore negotio prouidit. Illud capitale: ſanctimonialem, natalibus illuſtrem, ætate prouectam, prꝗſtantem prudentia, ſpectatam virtute nouis, quæ maxima pars erat, virginibus prꝗfecit, vt ſub ea tyrocinium ponerent: cui ſe etiam ipſa cum Blanca ſorore ſubiecit, eique cum reliquis informandam tradidit. Huic poteſtatem fecit iubendi, monendi, caſtigandi, nullo diſcrimine, nullo reſpectu ad maieſtatem, cuius aut pertæſa, aut oblita tam ſe àbijciebat, vt qui anteà non noſſet, vilem ancillam exiſtimaret. Et quoniam eo initio, & ſta-

ſtatu rerum non licebat præfecturæ monaſterij renuntiare, ita ſe gerere interim decreuit, vt Reginę, ac Dominæ titulo depoſito, Matris nomen aſſumeret; ita ſolicitudinem præſtitit, omiſit imperium.

CAPVT XXIII.

Sanciæ reginæ ſororis Tereſiæ natales, educatio, mores.

QVæ duę ſorores, & ſe mutuò amarunt, & vnà diu vixèrunt, & idem viuendi inſtitutum profeſſæ ſunt, & poſt mortem prope coniunctæ ob ſepulcrorum vicinim iacent, eas non modo licet ſcribendo coniungere, ſed nefas etiam erit ſeparare. Præſtet lex amoris hiſtoriæ legibus. Capiet idem li-

bellus quas non disiungit tumulus. Sancia inter Sancij regis filias natu tertia, Conimbricæ,(quę Lusitanię regum septem felix patria fuit) lucem vidit. A'teneris assueta diuinis, ætatulam pijs meditationibus ad vitam puriorem, quam agitabat animo, diligenter exercuit. Aulicas puellas quantum loco, tantum indole, ac pietate anteiuit. Parentibus morigeram, & sororibus natu maioribus officiosam se præbuit. Ingenio suauissimo fuisse id argumento sit, quòd Pater ei tam cupijt, vt præclaram dotem assignarit. Nā cùm alijs alia oppida tribuisset Ierabricam (Alenquerium vulgò dicitur) cum vicina Dioecesi nobilem regni partem Sanciæ donauit. Mortuo patre, ac Teresia, & Mafalda sororibus, Regibus Legionis, & Ca-

Castellæ in matrimonium collocatis, ſpretis multorum Principum, qui eam ardenter expetebant, nuptijs, ad quas frater Alphonſus & Vrraca illius Vxor inuitabant, cælibem vitam elegit. Nec diu in regia fuit. Deſiderium ſolitudinis, & aſpera fratris Alphonſi indoles Aula excedere, & tranquillè in remoto degere coegerunt. Nullus excogitari poterat commodior locus, quàm oppidum dotale Ierabrica, procul Conimbrica regia tunc vrbe, in Ciſtagana regione ſitum, ſemotum à turba, ſalubri cælo, fœcundo ſolo, optimis aquis, & copiòſis, in edito poſitum, & ſatis pro tempore munitum. Eò igitur ſe cum iuſta familia tranſtulit, ad quam liberaliter alendam patrimonium illud ſufficiebat. Cœ-

pit ibi religioſum in modum, citra vota tamen, viuere. Nam in arce intra regiam domum Templum erat, in quo illa cum domeſticis feminis rebus diuinis, & ſacris exercitationibus operam dabat. Cæterum, quòd & feminam domi, & principem foris agere oportebat, tempora muneribus accomodauit, vt in otio priuatis, in negotio publicis rebus conſuleret. Itaque domi orare, precari, nendi, texendi, acu pingendi penſa obire: foris intereſſe cauſis, quæſtiones decidere, cõtrouerſias dirimere, lites componere, & quoad licebat feminæ ius dicere, reliqua præpoſitis à ſe cauſis grauioribus viris committere. Præcipua ei cura pauperum fuit, nec ſolum notis, ac mendicis, ſed etiam ignotis, & occultis, queis vel pudor,

dor, vel valetudo impedimento ad petendum erat, opitulari ſolita. Ac ne quem miſerum præteriret, ſecretò inquiri per domos iubebat, ſicubi eſſent infantes orbi, feminæ viduæ, vt eorum neceſſitatibus ſubueniret. Notiores ei erant pauperes, quàm diuites. Copioſiore lẽchus eorum, quos de ſuo alebat, quã quorum reditibus ſuſtentabatur. Ille nuntius gratior Sanciæ, qui nuntiabat eſſe quempiam, qui ſuę principis opera indigeret. Si quem aut inopia, aut iactura rei familiaris, aut ære alieno oppreſſum norat, ei ſubſidium mittebat; palàm, ſi publicè, occultè ſi latenter agebat. Iam tum, (quem morem deinceps tenuit) ſingulis ſextis ferijs duodecim matronas pauperes excipiebat prandio liberali, & impaſtis

lauabat pedes, paſtas nouis donatas veſtibus dimittebat. Ieiunia nõ ſolemnia ſolùm, & conſueta obſeruabat; ſed alia priuata, & occulta ſibi indicebat. Id magis mirandum in regia femina, quòd ſubtus molles, & opulentas veſtes aſperrimũ, & ſetis hirſutis hiſpidum cilicium tenero corpuſculo applicabat. Interdum humi cubabat ſuper corticem, ligno in puluinum adhibito, & duriter ſe accipiens, & occultè macerans, ne quid gloriolæ irreperet; vnius tantùm ancillæ intimæ opera vtebatur, cui hæc pia furta patuerunt.

CAPVT XXIV

Ierabricȩ Zachariam Franciſcanum, & mox Suerium Dominicanum ex Italia venientem excipit, & ordinis monaſteria condit.

VIuebat ea ætate S. Franciſcus Aſſiſias, quem Chriſti, quo ſemper flagrauit amor, deſiderio martyrij ardentem, & ſtudio S. Iacobi Apoſtoli corpus viſitandi accenſum, in Hiſpaniam ire compulerat, ſi qua occaſio eſſet inde in Mauritaniam tranſeundi. Is nulla oblata, in Italiam, Deo ita volente, redierat, ſpe tamen retenta, quod per ſe facere non potuerat, filiorum opera perfecturum. Hæc

eum

eum dies,& noctes cura torquebat, quæ rem longiùs differre paſſa non eſt. Itaque anno quàm reuersùs fuerat proximo, fratres duos ex pręcipuis Zachariam, & Gualterum in Hiſpaniam cum ſocijs miſit. Luſitaniam ingreſſi ad regem Alphõſum Conimbricam adierunt. Mandata Patris Franciſci, cuius recens erat, & grata memoria, expoſuere regi. Summa erat ab eo petere, vt liceret ſuis in eo regno monaſteria ædificare, quæ ſeminaria virorum doctorum eſſent, qui Euangelium barbaris annuntiatum irent, & qui Luſitania expellebantur Mauros eos in Africam ſequerentur, & diuinæ Fidei præceptis imbuerent. Accepta regi Legatio fuit, ſed multò Reginæ Vrracæ acceptior, quæ cum Sanciæ pietatem noſſet, ad eã

Za-

Zachariam vnum è duobus cum litteris miſit, monens adeſſe tempus, pia, de quibus ſemper cogitabat, opera præſtandi. Non poſſe id temporis quidquam excogitari ad ſalutem animorum ſalubrius. Cum his litteris Zacharias Conimbrica Ierabricam venit. Non egebat hortatione Sancia, ad quæ ipſa ſponte currebat. Beneuolè excepit hoſpitem, & quoniam ex habitu oris, & corporis, quanta ineſſet animo virtus coniecit, de rebus cum eo cæleſtibus ſermones ſeuit: cùmque ille ardentes loquendo diuini amoris faces iacularetur, & ſingularem præ ſe ferret opum, & honorũ contemptum, eoque ſe germanum S. Franciſci diſcipulum Sãciæ probaſſet, ſtatuit hæc, eum apud ſe retinere, tamquam prædem, & obſi-

dem reliquorum , quos venturos poſſe ſperabat, vt Franciſcanam familiam in Luſitania propagaret. Erat prope oppidum, in decliui ſitu ad profluentem ſacellum Diuæ Catherinæ martyri dicatum, cum domicilio coniunctum . Eò iuſſit Zachariam diuertere ſuſcepto conſilio locum amplificandi, & monaſterium pro loco anguſtum, ſed pro tempore idoneum conſtruendi. Nec diſtulit quin admotis operis breui paucis cellulis excitatis, & ſacelli parietibus commiſſis iuſtum pro ſex, ſeptem ve ſocijs hoſpitium condidiſſet. Hoc primũ fuiſſe ferunt noſtri ordinis in Luſitania monaſterium Sancia autore fundatum. A tam paruis initijs res Franciſcana in tantam amplitudinem creuit. Ex hoc fonticulo in

Afri-

Africam, Asiam, & Americam tot prouinciarum facta diuortia. Annus is fuit MCCXVI. Scio quosdam nobiles scriptores malle primas dare Brigantino cænobio, quod putent à S. Francisco ædificatum, de quo ego nolo contendere: sequatur quisq; quod volet. Ego illud à puero traditione accepi. Quasi Franciscana religio Dominicanã in societatem acciret parentum exemplo, qui mutuò se sũt amore complexi, & vtriusque Sancia mater in Lusitania existere deberet, anno proximo idest CCXVII. frater Suerius Gomesius, qui à S. Dominico missus in Hispania versabatur, cùm Sanciæ nomen audisset, Ierabricam profectus, instituti sui apud Montẽ Iunctum, sic appellant, eiusdem reginæ auspicijs, & sumptibus mona-

nasterium erexit. Ita vna duorum illustrium Ordinum Princeps suscepit patrocinium.

CAPVT XXV.

Quinque Martyres Marrochienses dicti Ierabricam ad Sanciam diuertunt: ibi se ad nauigandum parant: parati discedunt.

AGebatur annus MCCXIX. quo S. pater Franciscus salutis animorum studio ardens, cùm iam ex Syria quo se Sulthani ad Fide pertrahendi causa contulerat, re infecta redisset, quosdam è filijs eiusdem propositi compotes in Mauritaniam ire iussit. Et ij paterno more ardebant. Sex numero fuisse con-

constat. Vitalem, Petrum, Bernardum, Accursium Adiutum, & Otthonem. Cumque in Aragoniam venissent, vno eorum, cui cæteri parebant, Vitali morbi causa detento, cæteri quinque in Lusitaniam, quæ maiorem partem iugum Maurorum excusserat, vnde liberior erat in Africam commeatus, profecti, Vlisipponem iter intendère. Sanciæ nomen, quod vbique celebre habebatur, & desiderium videndi socios in Diuę Catharinæ habitantes, Ierabricam traxit. Hanc itineris, & causæ consciam, studium incesserat eos, & noscendi, & iuuandi. Nec ij minus Sanciam coràm salutare, & alloqui optabant: post preces ad Deum in transitu, & in hospitio factas, regiam contendunt. Præstò erat Sancia, quam cùm venerabundi

di adirent, illa præuenit venerantes, & submissè benedictionem ab ijs postulauit. Piam vtrinque, contẽtionem lacrymę diremerunt: vicit demittẽtis se in genua virginis modestiam fratrum pietas. Eo habitu corporis osculum sacco, quẽ gerebant, impressit, & benedictionem elicuit. Mox in sacrariũ suum deductos benignè allocuta, de causa instituti itineris, de fine sibi proposito cùm quæsisset; comperto eos diuino ardere amore, ad sacratiores sermones se conuertit, & multa ex ijs accepit documenta virtutis. Nihilo ij minus Regiæ virginis colloquio ad pietatem sunt accensi, mirati inter delicias, & opes Aulæ tam purum, & abstractum à curis mortalibus animum reperiri. Illud didicerunt, vbi Spiritus S. habitare

velit, locum ad opinionem aliquantum, ad profectum haud multum intereſſe. Poſt longam confabutationem dimiſſi ad hoſpitium, vbi ex antè de Reginæ mandato ad victum, & domeſticum vſum neceſſaria præparata fuerant, redierũt. Paucorum dierum ſtatio fuit: vrgebat quippe deſiderium progrediendi, & fidem prædicandi. Et idonea erat ad nauigandum tempeſtas. Sed parum diſtabat Oliſſipo, vnde ſoluendum. Igitur dum nauis, & vectores ſe comparabant, & quæ opus erant ad nauigandum expediebantur, Ierabricæ morati ſingulare multarum virtutum ſpecimen præbuerunt. Sancia verò ne elabi ſine animi ſui profectu ſineret, ſingulis ad ſe illos diebus vocabat, & aliquot horas eos audiens mentem cę-

lestibus delicijs pascebat. Fassa posteà multùm se ea consuetudine profecisse. Ac fuit, quod aliquantò amplius, quàm pro eorum voto, minus tamen, quàm pro Sanciæ desiderio, eos ibidem morari fecit. Nam cùm ij suum habitum retinere nauigando vellent, quasi eum inter Mauros impune gestaturi; negauit nauclerus esse vecturum. Re itaque ad regios ministros delata, & seriò discussa deliberatum: habitum esse mutandum, qui vel inter Christianos ijs temporibus insolens erat, & alium vulgarem inducendum. De eo monita Sancia, vocatos parere mandatis, ac vestimenta consueta Lusitanis cùm peregrinantur, quæ gestarent, ijs donari iussit, quibus induti in nauem sine controuersia accepti, Hispalim primum, deinde in Africam nauigarunt. CA-

CAPVT XXVI.

Proficit spiritu Sancia, & Martyrum Marrochij occisorum per speciem aspectu fruitur.

SErmones sanctorum hominũ in animo Sanciæ infixos aculeos reliquerunt. Obuersabatur ei ob oculos mentis ille saccus asper, ille rudis funis, illa paupertas, illa modestia, illa despicientia sui, ille cõtemptus rerum humanarum, ille amor, & cura Cælestium. Recursabat ille ardor annuntiandi barbaris Christum, illud vehemens desiderium sanguinis pro Deo fundendi. Demittebat hæc in animum, & altê meditationibus adigebat; tum in eius latebras insinuabat mentem,

& quaſi omnis virtutis vacuam arguebat. Pudere ſe ſui, quod præ illa ſanctimonia nihil illuſtre videret. Socordem ſe, ac negligētem dicere, quòd tanto ſe interuallo poſt eos relictam in virtutis curriculo comperiret. Nihil tam ſtimulat generoſos, quam nobilis pudor: erumpit in ruborem, & ignem accendit, & eructat flammas. Ilicet meditationibus mentis addere, caſtigationibus corporis adijcere, vigilias intendere, ſomnio detrahere, diutiùs orationi incumbere, precari lētiùs, & copioſius, veſtiri viliùs, edere parciùs, cubare aſperiùs, accuratiùs animum, corpus negligentiùs habere; ſeque cruciando, ac exercendo, minus ſe ſuis, quàm alienis viribus metiri. Videbatur ſibi videre Martyres inter Mauros verſari, in con-

conuentus,& circulos venire, Christũ voce libera prædicare, ac æstuardere amoris, & desiderio æstuare martyrij. Iam Mahometicam sectã confutare, errores detegere, cæcitatẽ mentis aperire, doctrinæ Christianæ veritatem ostendere, omni ope ad eorum salutem conari: nec dubitare, quin à barbara illa, ac truci gente trucidandi essent, atque hoc ipsum animus prę́sagire. Hæc agitanti, hęc diu, noctuque voluenti. XVII. Kalendas Februarias, is dies cędis eorum fuit, anni MCCXX. ideſt anno proximo à profectione, cum altiùs in meditationem se daret, ex improuiso ei quinque illi Fratres augusta specie per visum apparuere, frondosis stellis laureati, candida in veste, notis distincta sanguineis, quasi à pugna,

& cæde recentes, ac ipsas quibus discerpti fuerant macheras stillantes sanguine ferentes præ manibus, sed luce vibrante intermicantes. Stupor primùm, at sine pauore; mox gaudium cum admiratione incessit animum. Intentiori oculorũ acie intuita recognouit effigies, & sensit Beatos. Quid ageret ambiguam, vnus eorum Petrus sic allocutus. *En tibi nos sistimus, ò Sãcia, immortales, quos hinc mortales adpugnandum pro Christo dimisisti. Exoluimus nos debito quod contraximus. Tu triumphis nostris viam strauisti. Tua ope in certamen venimus. Nisi tu esses adiutrix, Martyres non essemus. Hæ palmæ, quas in manibus gerimus, in hac domo radices habent. Riui sanguinis, quẽ pro Christo profudimus ad fontem redeunt. In Cælum imus repetendo viam*

qua

qua venimus. Per gradus meritorum ad præmium ascendimus, & pars est beatitudinis meruisse. Gratos nos tibi Deus esse iubet, quæ nos expedisti ad iter. Moram hanc apud te, ò Sancia, in parte gloriæ ponimus, quòd in agendis gratijs detinemur. Tanti est grati animi virtus, vt perinde sit ac beatitas. Hæc est portio melior nostri, idest animi, qui nunc soluti mortalitatis vinculis ad Superos volant. Corpora lacera iacent Marrochij. Ea curabit frater tuus Petrus mortua, sicut tu soror conseruasti viua. Nec te hoc solo aspectu solamur. Recipimus tibi, numquam tuis, vel votis, vel precibus defuturos. Tu perge ire virtutis viam, donec ad metam, quò tendis, feliciter aura diuinæ gratiæ adspirante peruenias. Tibi præstò erimus ad ostium æternitatis. His dictis euanuit obiecta species. San-

cia, veluti qui in media luce caligat titubante, & vicina, vt se teneret, manibus prehendente. Mox vt ad se redijt gaudio delibuta, per diuinum in mentem illapsum, fructum visi cælestis accepit.

CAPVT XXVII.

De suspiciendo Cistercien si habitu deliberat. Palatio in Monasterio Minorum conuerso, Ierabrica discedit.

EXinde imperium, & splendorem Aulicum exosa, quanquam regium Aulæ lumen varijs obtudisset virtutibus, voluit prorsus extinguere. Stimulauerant anteà mentem Teresiæ, & Mafaldæ Sororum, quæ neglectis rebus humanis.

S. Ber-

S. Bernardi inſtitutum amplexæ fuerant, exempla;ſed tunc Martyrum per ſpeciem illuſtris viſio accendit; & quoniã vicinior erat Teresia ob frequẽtiores ab ea acceptas litteras, in quibus de ſolitudine, de pace animi, de meditatione cęleſtiũ de tranquillitate vitæ, de perfectione religioſi ſtatus diſſerebat, ad illius ſe vitæ rationes conformare ſtatuit, & in propinquiorem ei locum migrare decreuit. Antequam diſcederet, de Franciſcanis patribus, qui anguſtè ad Sanctæ Catherinæ habitabant, ſolicita, certum, & iuſtum eis pro maiori numero monaſterium ædificari voluit. Ad idque palatium ſuum quod relinquebat idonea ſupellectili inſtructum fratribus conceſſit, & præfectos operi, & ſumptus ad fabricationem noui

ædi-

ædificij aſſignauit. Retento tamen arctiori hoſpitio ſanctæ Catherinæ, ac edicto, vt ibi fratres numero quinque, deinceps degerent, ad totidem Sanctorum Martyrum, qui eum conſecrauerant locum, memoriam ſuſtinendam; quorũ illa tam fuit obſeruans, vt quo in loco ſibi apparuerant, ibi ſacellum ſtrui iuſſerit, quod hodieque ſeruatur. Et quidem amplum illud eſt, & magnificum Monaſterium in edito ſitum, vndique pręciſum ab oppido, ſalubre, & aſpectu intuentibus gratum, verum habitantibus aliquantò triſtius: idque ipſum ad meditationem Cæleſtium iuuat. Anno MCCXX. quanquam de anno illo non admodum conſtet, primo poſt Martyrum cædem conditum ferunt. Hoc ſuæ pietatis, & magnifi-

cen-

centiæ monumento relicto, Conimbricam venit Sancia, ibique de fundando Parthenone agitare cœpit. Locos metāti duo placuerūt vnus vrbi vicinus in aduersa Mondæ ripa, alter paulò ad mille ſerme paſſus remotior, quà ciuitas ſeptentrionem oblique reſpicit. Hunc elegit, ſed alterum non neglexit. Rarus ea tempeſtate in Luſitania conuentuum ſanctimonialium vſus: ſi quæ Deo ſe dicare religioſo ritu feminæ vellent, eę in locis frequentibus domunculas quaſdam ædificari ſibi curabant, ſeorſim poſitas, vndique clauſas, & munitas, inducto muro cum feneſtellis ad lucem, & cibum accipiendum idoneis; in his incluſæ viuebant more Anachoritarum, ſolitariæ quoad contubernium, quoad decorum vicinæ. Domun-

munculas Cellas vulgò, feminas inclusas, Muratas appellabant. Harum magna copia eo in loco erat. Cui idcirco *Cellis* inditum nomē. Eas voluit Sancia in vnum cõuentum redigere, & monasterio inclusas ad idem, quod professa Teresia S. Bernardi fuerat institutũ, formare. Non inuitæ morem gesserunt, tantùm expectarunt, dum monasteriũ perficeretur, quod magnis à Sancia collatis sumptibus ædificari cœptum. Interim acciri iussit alias apud Ierabricam reclusas, quas illa antea, & beneuolentia fouerat, & opibus iuuerat, vt iustus numerus Sanctimonialium esset. Alias, quæ trans fluuium Mondam habitabant, loco nõ mouit, quod in vicino positæ, & in meliorem formam redactæ minus solicitudinis, & negotij exhibebãt.

Non

Non tamen illarum curam abiecit. Certum eis quippe frumenti demensum aſſignari in poſterum iuſſit: quod onus poſt eius mortem ad Cellarum Abbatiſſas trãſijt. Cumque poſteà ex illis recluſis monialium nouus cõuentus fieret, cui Diuæ Annæ nomen inditum, & ſancti Auguſtini inſtitutum aſſignatum fuit, ſemper Cellarum Cænobium ſtatas illas tritici, ſolemneſque menſuras Monialibus ritè dependit.

CAPVT XXVIII.

Inuiſit Tereſiam apud Loruanum, & Montem maiorem oppidum contendit.

ARdebat vtraque ſoror mutuo deſiderio inter ſe ſalutandi, ſe-

seque fruendi. Tereſiæ id per pro-
feſſionem licitum non erat, Sanciæ
licebat adhuc liberę à votis,& clau-
ſtro. Itaque Loruanum ſe contu-
lit paucis comitibus. Vt in depreſ-
ſas illas per tot viarum anfractus
conualles venit,commoueri ſe ve-
hementiùs ad pietatem ſenſit, &
multum in locis momenti eſſe ad
cæleſtes impreſſiones intellexit.
Ipſa ſolitudo, & aſperitas montiũ
mirè afficiebat incedentem. Lau-
dabat ſororis propoſitum, quæ ſe
ſuaſque ſocias in ea teſqua induxe-
rat. Viſo demum monaſterio,ma-
ior religio pulſauit animum. Oc-
currit menti ſanctimonia habitan-
tium, ac præcipuè ſororum. Erant
hæ ad oſtium Eccleſiæ intra veſti-
bulum, ſed foras modicè proiectæ.
Cętera turba virginum in duos di-
ui-

uiſa ordines per totũ Eccleſiæ ſpatium tendebatur, ardentibus cereis Sanciam expectantes. Aduenientem amplexu ſuſcepit Tereſia, cui Sancia ſupplex demiſſis brachijs penè ingeniculata ſe ſe inclinauit. Ambabus eruperunt lacrymæ. Adiecit Sancia ſuſpirium tenerior aſpectu religioſi habitus facta, quẽ inuidit ſorori, cũ purpuram antea non inuidiſſet. Cumq; inter ſe conſalutaſſent, interuenit Blanca, quæ amplexus illos nouo ſuo oblato diremit. Arctiùs eam ſtrinxit Sancia, ſed copioſiùs plorauit Blanca. Tum mediam accipientes inter ordines monialium ad aram maximam procubuerunt. Adorata Euchariſtia intra monaſterij ſepta ingreſſæ ſunt. Ibi Sanciam reliquæ moniales reuerenter exceperunt,

quas illa vetuit, ne tam se demitterent, confirmans pares sibi esse, imò, quòd sponsæ Christi essent, superiores. Tunc ijs ad sua pensa obeunda dimissis, in cellam se sororis inclusit. Ibi vna cum altera de præteritæ vitæ, deque præsentis statu comunicauit. Nihil inter se celatum habuere, & cùm rationes viuendi contulissent, & Teresia Sãciam iam mundo nuntium remittere parantem deprehendisset, pellicere in sui societatem voluit, vt non modò particeps instituti, sed etiam consortionis esset: idq; multis persuadere conata est. Verùm Sancia modestè respondit, sibi non esse integrum mutare locum, quẽ superi apud Cellas destinarant. Ibi domicilium cum sororibus nouis, quas parauerat, vbi monasterium ædifi-

ædificabat, eſſe poſituram. Iam dudum recepiſſe, ducem ſe ijs & comitem vitæ fore. Se coniunctas ad ſolatium quidem aptiùs, ad profectum, minus aptè eſſe victuras. Attendendum non quid priuatæ ex illa coniunctione commoditatis acciperent, ſed quid ad commune bonum ſeparatæ conferre poſſent: vbi animorum copulatio eſſet, nihil intereſſe ſeiungi corporibus. Cumque Tereſię ſatisfeciſſet, ad cœleſtes curas cum Blanca conuerterunt ſeſe, ac ſuauiſſimè de rebus Diuinis confabulatæ reliquis ſororibus copiam ſermocinãdi fecerunt. Placuit Sanciæ exercitationibus ſacris intereſſe, tum quæ ad diuina officia, tum quæ ad meditationes, & preces, tum quæ ad afflictationes, & macerationes

corporis, tum quæ ad pensa, & opera muliebria pertinebant: singula & admirans,& obseruans, ceu memoriæ mandare vellet (tam accuratè quæ viderat notabat)quasi regulas inde, ac normas ad institutionem suarum,de quibus tunc cogitabat, monialium colligeret, vt tempore opportuno dictaret. Tridui ea statio fuit. Decedentem rogauit Teresia, vt vellet Montem Maiorem suę ditionis oppidum se conferre, & de toto illius statu diligenter cognoscere: & si quid esset in Republica (sic enim audierat) turbatum, id pro suo iudicio, & arbitratu componeret. Suscepit prouinciam Sancia. Erat is annus á partu Virginis MCCXXIII. quo anno in oppidum venit. Nobile illud in primis; & par vrbi frequen-

quentià, & opibus ciuium, ſed abſente iam diu Tereſia neglectum quaſi ſterile ſolum iacebat. Breui tamen ſubactum opera Sanciæ, fructus haud pœnitendos tulit. Sata inter multos, eoſque primarios, ſemina diſcordiæ, & haud dubia reipublicæ pernicie adulta, partim compreſſa, partim auulſa. Ferrum intentum iugulis multorum, vel ſubtractum, vel reiectum. Inſidiæ detectæ. Iniqua pacta reſciſſa: vadimonia præcluſa: iniuriæ propulſatæ. Maledici à detractione: auari à ſordibus: rapaces à latrocinijs: ganeones à luſtris: aleatores à ludo, conuitiatores à petulantia reuocati. Imperio vſa, his & alijs graſſantibus vitijs modum poſuit. Sed plus egit exemplo. Frequens in templo, aſſidua in ſacris: car-

ceres inuiſere, noſocomia viſitare, noſſe, ac iuuare miſeros, ſubleuare pauperes, ſolari afflictos, protegere viduas, tueri pupillos, reis ſubuenire. Nihilo minus ius ſuſtinere, iudicia ſtabilire, leges conſeruare, ſtatuta cuſtodire, calumnias depellere, quadruplatoribus obuiam ire, circulatores arcere, illecebras peccandi auferre, corruptelas morum tollere. In vtranque partem, & pietatis, & ſeueritatis documenta dare. Itaque ad commune bonum ſatis hac adminiſtratione profectum. Sed rationes pecuniariæ, tũ priuatæ, tum publicæ negotium Sanciæ haud mediocre exhibebãt. Sunt quippe difficiles explicatu, propter ſpectationem, & collybũ, ac lacunas in ære alieno, quo qui ſe obſtringunt nomina expedire vix poſ-

possunt. Quare non pauci erant in nominibus, quibus abierat dies rationum referendarum: hi procrastinare, comperendinari, præuaricari; alij obruti, & nexi, quoquo se modo exoluere, fraude, dolo malo, vi, tergiuersatione: negare acceptas pecunias, ne dependere cogerentur. Quidam acceptum retulisse se dicere, sed expensum tulisse affirmare. Nonnulli qui soluendo non erant versuram facere, ac nouis se nominibus obstringere, ac demum circumforaneo ære obrui, & foro cedere: interdum, & solum vertere, & nomina secum portare, detrimenta creditoribus relinquere. Paucis integræ fidei, putatis, & subductis rationibus accepti, & expensi summa quadrabat: Ita parum ad quæstorem Re-

ginę lucri perueniebat: & propè erat, vt Publicani partim ob interceptos reditus, partim ob præscriptas vsuras, vel sublato, vel interso anatocismo decoquerent. In hac difficultate Sãcia sic se gessit, vt cõsultis ijs, qui omnes vias pecunię norãt, & deducẽdo partim, & partim condonãdo, & partim exigẽdo turbatas rationes rectè administraret, & nomina multorum sine magna vtriusque partis iactura dissolueret. Quo quidem Sancia sororis Teresiæ rationibus haud parùm consuluit, ingenti vi pecuniæ ad expensas in fabricatione monasterij, & sustentatione Monialium, & iam anteà factas & deinceps faciendas numeratò repræsentata. Sic illud oppidum pristinæ virtuti, ac fidei redditum Teresię votis cumulatè respondit. CA-

CAPVT XXIX.

Spernit oblatas ſibi à Rege Fratre Ferdinandi Regis Legionis nuptias: Monaſterium Cellarum ingreditur: ſeque ibi Deo deuouet.

CReſcebat Sancia cùm profectu virtutis domi: tum fama ſanctimoniæ, & prudentiæ foris. Iam illam viuo Patre Sancio finitimi, longinquique Reges nurum optauerant, nec dum ſatis adultam, nec maturam, quod illa cauſari ſolita ne nuberet. Nunc & hac excuſatione præciſa, & aucta exiſtimatione, doteque conſtituta, quanta Regiæ Principi ſatis eſſet,

obnoxia Regibus procis esse cœpit. Frater Alphonsus affinitatum potẽtissimarũ cupidus vrgebat in thalamos. Petebat illã ante alios Ferdinãdus Castellæ, ac Legionis Rex, Alphõsi, & Berengariæ Filius, qui Patri, Matriq; successerat: iuuenis magnanimus, & virtutibus regijs præditus, Sanciæ, nisi à Christo præoccupata esset, sponsa dignus. Hic omnino erat cæteris preferendus: & Fratri Alphõso mirè placebat. Vterq; populus connubiũ illud communibus studijs, vt fieret procurabat. Sed omnium vota, & spes Sanciæ votum reiecit. Vouerat se à teneris Christo. Pactam ergo se cælesti sponso declarauit, & procis omnibus nuntium remisit. Frater Alphonsus, quæ Regum natura est, cum ijs mos haud geritur, ei insiste-

ſiſtebat, penè cogens vt nuberet. Illa ob firmato animo reſpondere, citiùs ſibi quoduis, vel grauiſſimū ſubeundum eſſe ſupplicium, quàm thalamum ineundum. Ac ne vlla regi deinceps ſpes eſſet, clàm ad ſe Conimbricenſi Epiſcopo accito conſilium ei ſuum aperuit, ac Cellas cum eo contendit, quò iam iuſtus ſororum numerus cōfluxerat: & coràm virginitatis voto renouato, reliqua duo paupertatis, & obedientiæ emiſit, atque adeo inſtitutum Sancti Bernardi profeſſa, ſacrum de manu eiuſdem, depoſitis crinibus, velum accepit; & palàm mundo renuntiauit. Affecit ea res mirè audientium animos, Aulicorum imprimis: ſed nemo factum improbare audebat. Tanta erat Sanciæ apud omnes, & exiſti-

matio, & reuerentia. Vni Regi affectuum impotentiori, durum visum, quòd se inuito soror fecerat; verum patienter ferendum, quod retro trahi non poterat. Illa sui voti compos Deo ex integro vacare cœpit. Nacta socias, indole pias, statu virgines, conditione subiectas, eas ad suum, hoc est pietatis, ingenium fingere perrexit. Cedebant illæ, & quamcunque vellet formam virtutis imprimere, eam exprimebant. Numero triginta sorores erant, sed in vnum Charitas redegerat. Ordinis tantũ & officij diuersitas erat. Hæc ad obedientiam relata, quòd non posset sine graduum & munerum differentijs administratio rerum consistere. Sanciam nihil à reliquis præter regij sanguinis, quæ in

vultu

vultu extabant notas, inuitam, atque eminere negantem diſtinguebat. Propoſuit ſibi regulam examuſſim ſeruare, eamque sororibus rite obſeruãdam, quemadmodum vouiſſent, ad inſtitutas vitæ rationes præſcribere. Hoc eſſe capitale docebat. Hanc eſſe ad religioſam perfectionem ſatis; verum eò illa ſibi minimè ſatisfaciebat aſſueta in aula exercitationibus, ſi minus perfectis, certè aſperioribus. Harum quæ clàm cæteris fieri poterant, eas retinuit: quæ foras emanabant, ijs ne communis vitæ tenorem interrumperet, prudenter abſtinuit. Itaque de quotidianis, & ſeueris, quibus ſe afflictabat flagellationibus, quæ ſuo ſe prodebant ſtrepitu, detraxit; funes, & thoraces ſetoſos, quibus ſe arctè cin-

cingebat, quòd res erat occulta, seruauit. Consultò vtrumque. Cauit enim ne exemplo suo videretur alijs, aut asperiora præscribere, aut infirmitatem exprobrare. Furari solebat nocturnæ quieti horas non paucas: easque meditando cõsumebat, quando conticinium noctis silentium linguis, locis infrequentiam afferebat, vt pij facti suspicionem opprimeret. Orabat autem tacitè nullo gemitu, suspiriove emisso; ad se collecta meditabatur, vt qui videret orantem, sensus expertem putaret. Bis quotidie in se solita inquirere, semel ante prãdium, iterum ante cubitum, & rationes animæ secum putare; si quid rectè factum, Deo assignare: si quid secùs, imputare sibi, & punire: & in diem posterũ seponere, ac præ-
ca-

cauere. Liberas à ſacris exercitationibus horas domeſticis occupationibus impendere. Nuſquam animum à cuſtodia ſenſuum remittere: obſeruare ſe ſemper, ne quid, quoad eius fieri poſſet, minus aut honeſtum, aut decorum obreperet. Sibi à ſe, tanquam hoſte inſidioſo, timere. Conſueuerat abiecta, & vilia, propriaque ſeruarum miniſteria obire, menſæ accumbentibus afferre cibos, reliquias colligere, ac in ſuum locum deportare. In culina frequens erat: ligna ad focum adhibere, aquam ad eluendas ollas, & caldaria afferre. Patinas, & omne lancium genus proprijs manibus abluere, & extergere; ſæpe ſcopis humum verrere, & ſordes collectas foras proijcere. Hæc interdum ſolitaria, in-

ter-

terdũ cum ſororibus vnà exercere, mira hilaritate, vt quantam ex eo caperet voluptatem, ſignificaret. Apud infirmas inuigilare, præſtò eſſe, omnibus ſubuenire, remedia excogitare, præſcripta medicamẽta adhibere. Nihil quod vſui ad ſalutem eſſet, prætermittere. Nihil in eo miniſterio abiecti, ſordidi ve muneris recuſare. Nec vero hæc maiora dicendo fiunt. Summa ex hiſtoriarum monumentis deprõpta fide narrantur. Et quidem demiſſio, & abiectio ſui propria Sanciæ virtus fuiſſe fertur: quæ eò erat mirabilior, quò demittentis ſe perſonæ altior erat conditio. Has virtutes admirari reliquæ moniales, & obſeruare: ad eaſque imitandas ſeſe omni ſtudio, & contentione conferre. Ac quoniam diffici-

ficile erat omnes consequi, singulæ sibi singulas, vti cuique quæque placebat, sibi proponere, & conari imitando exprimere. Qui socias videret sedulò, ac diligenter virtutes Sanciæ obseruare, & ad se notãdo colligere, existimaret Sanciam pratum esse, Socias apes, quæ flosculos aucuparentur, & carperent, vt in suis cellis ex ijs fauos fingerent, & mel sanctimoniæ conficerent.

CAPVT XXX.

Teresiæ hoc tempore Loruani exercitationes.

QVod de citharis ferunt, cùm intentis ad numerum neruis, & ad reddendum sonitum accom-

mo-

modatis ex aduerso locãtur, pulsatis vnius fidibus, ei alteram nullo excitatam tactu ad fidem respondere, & iustum redditis sonis concentum efficere: id certè duabus hisce sororibus similem in diuersis monasterijs vitam religiosè agentibus accidisse compertum est. Nã vnius vitę ad instituti normas attẽperatæ, sic altera ex aduerso respõdebat: vt parem virtutum cõcentum redderet, ac vtrinque mira quædam, & apta morum harmonia existeret. Et quidem vna certius, & vehementius excitabat alteram, quòd ambarum spiritus Cœlestis fidicen interiori, & arcano pulsu corda tangebat. Ac quò maior esset concordia ipsę inter se scribere, & quo quæque modo in virtutis studio proficeret, datis ac-
ce-

ceptiſque litteris, altera alteram edocere: cùmque ingenio, & indole non minùs, quàm ſanguine coniunctæ eſſent; & ſtudia ſua in vnum, religioſæ nimirum obſeruantiæ, iiſdem rationibus, iiſdem præceptoribus finem contuliſſent; tanta erat ſimilitudo morum, vt cùm ſorores natura eſſent, virtute gemellæ viderentur. Itaque narrando exercitationes ſacras Tereſię, non in re quidem, ſed in verbis diſcrimen erit: Faciam quod Pictores ſolent, cùm eiuſdem imaginem perſonæ diuerſo tempore, ac ſtatu pingunt. Mutant veſtes, ſituſque, non lineamenta, formantque vultus, colores ve natiuos. Dedita imprimis Tereſia fuit ſtudijs rerum diuinarum, ſtatum horarũ penſum ſacrarum ritè perſoluere

consuetis meditationibus, & precibus solemne tempus impendere. Aliquot prætereà horas de communi cura præcidere,& in priuatæ orationis vsum conuertere. Tam altè in hanc intrabat: vt vix vlla vnquàm cogitatio foras emanaret; quòd si qua effugeret statim, eò vnde resilierat, reducebat. Reuocare sæpè ad calculos animum, & rationem facti, infectique consciẽtia excussa sibimet reddere: sensuum custodiam intendere,& euagationibus exitus mẽtis præcludere, affectiones, & perturbationes animi sedare: appetentiam cibi inedia frangere: inter sorores cum taciturnis silentio; cum diligentibus sedulitate: cum officiosis obsequio: cum morigeris obedientia certabat. Paupertatis obseruantis-

sima

ſima extitit. Dum rem conuentus curauit, numos è reditibus collectos, ad ſeque perlatos nunquam propria manu accepit, ceu eo tactu contaminaretur, ſed ſorori, quam rationibus pecuniarijs præfecerat, tradi iubebat. Poſteà ne cogitare quidem de reditibus voluit. Atq; vt paupertati comitem obedientiam adiungeret, alieno arbitratu viuere decreuit, ſeque non modò copijs, ſed proprijs etiam affectibus ſpoliare. Virginem magno natu, multis præditam virtutibus, Abbatiſſam deſignauit: & ſororibus ſui loco futuram eligendam propoſuit: & omnium calculis approbatam creauit. Eam conuentui ex integro præfecit, facta eidem adminiſtrandi omnia poteſtate. Huic ſe primùm volun-

tate, deinde officio ſubiecit: priuata deinceps futura, in Vulgus tranſijt Monialium. Eo ſe ab omni commercio abſtraxit. Si qui ad eam principes viri viſendi, & ſalutandi gratia veniebant; ſic eos excipere ſolebat, vt grauatè ſe colloquijs daret: & citrà contemptum ſignificaret faſtidium. Quo ij deprehenſo, ſpontè, haud magna interpoſità mora, diſcedebant. Si quos aut publicum negotium, aut priuata neceſſitas adduxiſſet, eos attentè, ac beneuolè audiebat; ac ità præcisè reſpondebat, vt occaſionem adimeret quicquam aliundè ad confabulandum accerſere: quòd ſi res cito tranſigi non poterat, ad Abbaſſam remittebat. Sic externa horis ſubciſiuis, domeſtica integris
tra.

tractabat. Vitæ communis rationi se accommodauit. Cum alijs in choro precari, in triclinio vesci, in gynæceo acu pingere; in dormitorio quiescere; in loco ad correctionem (Capitulum vocant) emendationem subire; ad cruciatum corporis, flagellari, ad laxamentum animi, recreari. Nemini importuna, vel grauis; omnibus affabilis, comisque humanitatem præseferre. Quæ quanquam vulgaris virtus videatur, in Regijs tamen personis habetur non vulgaris. Nulla certè in vulgus exit gratia, plausuque maiori.

CAPVT XXXI.

Teresia reipub. causa Monasterio egreditur, & ortas super hæreditate Regni Castellæ, ac Legionis lites componit.

DAbit veniam Lector, quòd, ne interrumperem gesta Sanciæ, caput hoc loco moui. Hæc enim ante ingressum in Cellas Sanciæ contigerunt; sed nexum malui seruare rerum, quàm seriem temporum. Alphõsus Rex Legionensis tres è Teresia nostra sustulerat liberos Alphonsum, Sanciam, Dulciã. Ea vero, damnatis incestis nuptijs, dimissa, secundas cum Berengaria eodem vitio infectas contraxit. Hãc eò libentiùs accepit, quòd secum

Castellæ Regnum in dotem trahebat: ex hac alios suscepit, ac in ijs Ferdinãdum, ad quem materno iure Castellæ regnum spectabat. Sed erat animo Legionense Alphonso filio Teresiæ dare: verùm is viuo Patre mortuus spem fefellit. Alphonsus filio superstes, huic Ferdinando, è Berengaria suscepto, propter illius turbulentum, & ferox ingenium, minus initio æquus, & indulgẽs, & posteà infensus fuit. Hinc primùm dissensiones, deinde simultates; tandem apertæ inimicitiæ extiterunt; adeo, vt Alphonsus Pater moriens Regnum Legionense penes filias Sanciam, & Dulciam testamento reliquerit. Tam abalienarant animum Patris, filij mores. Mortuo patre, qui amori erga filias plus æquò dederat, Filius ius suum
 (haud

(haud erat dubium, cùm sexu valeret) repetijt. Cui tamen testamenti fides obstabat, & amor in filias ciuium, quem orbitas, & ex ea orta cõmiseratio excierat: accedebat videri æquius regna diuidi, quàm vni conferri. Obrutum iri tanta mole rerum iuuenem minùs, & gratum, & expertum Rerum publicarum. Melius administrari, quæ separata cum suo iusto capite Regna consistunt. Satis esse Ferdinando regnum Castellæ: cui par esset futurus. Duo regere nõ posse. Nec duo ab eo vno regi velle. Vtrum, si iungantur, alteri præstiturum? Discerptum iri in partes ambo, vno ad se primas trahente, altero repugnante. Commoueri, & tumultuari populus, & ad arma res spectare. Berengaria ad pacificandum satis non erat, & suspe-

ctam causæ maternus amor fecerat. Igitur ad Teresiam curę,& spes versæ. Illam quæ regno,& aulæ renuntiauerat, & delicias, & opes contempserat, ad derimendas eas, quæ ab ambitione eruperant lites, idoneam esse. Quæ vacabat Deo, Diuinisq; humanis eam affectibus haud fore obnoxiam; mentem assuetam contemplationi cælestium, videre puriùs, & subtiliùs inspicere, quid Deo sit placitum. Persuaserant sibi omnes ab vna illa negotiũ transigendum; verùm exanimabat absentia, & professio, quæ vetabat coràm adesse Teresiam. Tentandum tamen rata Berengaria litteras ad eam per certos homines misit: & alias subinde ad regem Alphonsum Lusitaniæ, cum precibus, vt si Teresia de profectione dubitaret, ad iter

ipse

ipse compelleret. Has illa cum legisset, magnoperè est commota, quòd videbat conscientiæ, & officij esse communis Reipublicę causa priuatam quietem, & contemplationem relinquere: sed oportebat rem maturè perpendere. Voluit de statu rerum tabellarios (nam id quoque litteræ continebant) qui honesti homines erant, audire: compertis, quę instabant, consulto animi sui arbitro, & superiori, ac ex illorum consilio deliberato egressu, cùm de suo consilio certiorem facere regẽ vellet, & ab eo facultatem impetrare, is tempore illam præuenit, scriptis ad eãdem litteris cum mandatis, vt negotium haud cunctanter susciperet; itaq; iam parere necesse erat: quod ei gratissimum accidit, vt honestius exiret. Idoneo comitatu iter ag-

aggreſſa ad locum, quò Berengaria Reginâ condixerat, rectà contendit. Ibi flos ciuium cum Regina, & Regijs liberis erat. Honorificè accepta tanquam pacificatrix, quæ finem tot malis, & quæ iam tulerant, & quæ tum patiebantur, & quæ timore præceperant, eſſet allatura. Poſuere arma, & iras populi: competitores abſtinuere ambitu; eius vnius iudicio ſtaturos ſeſe omnes receperunt. Illa pręrogatiuę maſculinæ memor, contra filias proprias mater ſententiam tulit, & regnum Ferdinando adiudicauit. Non tamen ab hęreditate remouit: iuſſit illis aſſignari multa, & idonea oppida, vnde redituum, quod ſatis eſſet, ad ſuſtinendam regiam perſonam colligerent. Nec prius regno exceſſit, quàm Ferdinandus Regni poſ-

ſeſſionem iniſset, & ſororibus dotem pręſcriptam ſepoſuiſset. Grata omnibus ſententia fuit, ac ex eo iuſtior viſa, quòd erat à matre profecta, quæ ius amori antepoſuerat. Et quidem Filię haud grauatè paruerunt, quòd ſententię reuerentia põdus attulerat, & quòd nouerant Tereſiam olim abdicaſse ſe ſtatu, & libenter regno ceſſiſse. Malueruntque Matri, neglecto, quàm accepto imperio clariori, ſimiliores videri.

CAPVT XXXII.

Redit in Lusitaniam: Monasterio inclusa, multa in se cruciatuum genera excogitat.

PAce foris parta bellum domi sibi indixit. Primùm propo-suit: nunquam deinceps à Monaste-rij claustris exire, stataria secum ip-sa pugna decertatura. Molle, ac te-nerũ corpus duriter accipere mul-tò ãte iam cœperat, quòd sciret, hũc hostem domesticum, si blandè tra-ctetur, rebellionem mouere; vnus ille indulgentia ferox fit; insidioso mari similis, quod cum per malaciã iacet, tempestatem machinatur. Er-gò flagris se cædere: & quasi manus torperet propria, vtebatur aliena, quam

quam vrgebat imperio, ne impetũ feriendi remitteret; pias Sociarum manus præcepto asperabat: immorigeras vocans, quæ sanguini parcerent: morigeras quæ elicerent. Persuasit delinquere eas ni sæuirent: crudelitatem in religionem vertit. Hac arte efficiebat, vt copiosiùs sanguis efflueret: & ipsam destituerent vires, & inter manus cædentium laberetur: nec ante erat cessatio; nempe deliquio sensum extinguente. Hęc poena quanquam grauis, minus ei tamen satisfaciebt, quòd necesse erat interrumpi. Igitur perpetuam excogitauit inducto cilicio setis hirsuto, tactu aspero,, visu horrido, cui ita corpus assuefecit, vt hæreret, & in partem corporis transiret; itaque illud numerabat in membris. Temporum vices ad cruciatum ac-

commodabat. Vere æſtu diffluebat: hyeme rigebat algore. Siti & fame, ſe macerabat: inedia ſe iuxtà, & cibo torquebat. Dapes inſipidas amabat: ſi quæ ſapiebant, eas miſcebat amaro ſucco, & interdum cinere pro ſale aſpergebat: idque putabat conditius, quod mortis memoriam ſapiebat. Somnus breuis, ac interciſus; mens quippe aſſueta meditationibus interpellabat dormientem; nec corpus iners iacebat, quòd ſtrati durities reddebat inquietum. Itaq; nõ tã oculos permittebat ſomno, quã ſomnus oculis obrepebat: vt dormire furti inſtar eſſet, quòd ſomnũ illa velut latrociniũ deprehenbebat, & à ſe excutiebat, & vigilia caſtigabat. Illa inſignis cruciatio fuit. ſingulis ferijs ſextis peractis à ſacerdote rebus diuinis, redibat in cellã.

Tum obserato ostio intùs se abdere & ingeniculata terræ oscula insigere; & cor in lacrymas dilutum per oculos effundere, & percusso pectore peccatricem sese, reāq; fateri, & Crucifixi effigiē manibus apprehēdere, amplexu stringere, plagas osculari, ceu ex ijs sanguinem vellet elicere, quo suarum, vt aiebat, sordes culparum ablueret: ac in eo statu diù permanere immobilis, & immortuæ similis: nec à mortua nisi suspirijs, quæ inter singultus emittebat, discerneres; eam diem solidā sine cibo traducere: & omni genere cruciatuum exercere. Reliquum vitæ commentatio mortis fuit. Exinde quippè cœpit, quasi citò moritura vitam ducere: seiuncta, & semota ab alijs in se colligi, & in arcana æternitatis abdi. Ac quo id

ma-

maiore cum pietatis ſenſu efficeret iuſſit aperiri ſibi ſepulturam loco idoneo ad Aram Diuæ Virginis à Roſario: & dum lapis (nam vulgarem eam eſſe voluit) in operculum parabatur, ingreſſa foſſam, viuum corpus eò inſoſſum morti oppignerabat : ac vt mortalis conditionis memorem ſe probaret, à die proximo quàm eſt clauſa, ſupra lapidem ingeniculabatur quotidie, ſeque morti deuouebat: ac vt ſibi præiret funereum cantum, preces illas ſolemnes, quæ cani pro Defunctis in Eccleſia ſolent, priuata recitabat, intermiſtis lacrymis, quæ vbertim manabant, & fontem in ſaxo ineſſe teſtabantur.

CAPVT XXXIII.

Variarum quædam lumina virtutum hinc inde collecta ponuntur.

SAcrarum precationum studiosissimam fuisse constat. Anteuertere socias cum ad Horas solemnes eundum: manere post eas cum exeundum. Prima accedere, nouissima recedere. Sæpe sola in Choro manere, ac diu perseuerare, idque solita facere post vltimam horam quæ complet cæteras, & sub occasum Solis persoluitur. Ab ea sæpè vsque ad matutinas meditando durare, vt non satis esset præuenire venientes, nisi expectaret redeuntes. Quod mirandum esset, si minùs ea cælestium rerum dulcedine tangere-

geretur: ſed cùm tot abundaret ſolatijs, & tanto immortalium deliciarum guſtu afficeretur mirum id minimè videri.. Verùm cùm ille ſenſus Diuinæ Gratiæ altiùs penetraret in mentem, oportebat eam mortales curas, cogitationeſq; abijcere, & eò niti corpore, quò euehebatur animus: Viſa eſt ſæpe orans ferri ſurſum, & flexis genibus in aere ſuſpenſa conſiſtere, & perſeuerare immobilis, ſpecie quàm pro humano habitu auguſtiore. Interdum ſplendere vultus, & Solis imaginem radijs in orbem coeuntibus, & exinde foras proiectis formare: vnde lux tanta exiſtebat, vt domi peregrinari Sol ipſe auulſus è Cælo videretur. Idque non ſemel ſociæ eo feliciter ſplendore deluſæ obſeruarunt. Quod cum ex earum concurſu

Teresia sibi reddita cognosceret, abstinuit ab ea publica oratione: & in suum se includens cubiculum, noctem sibi indixit. Ibi lumen illud abscondit. Sed non minus fulsit, & claruit apud omnes luminibus extinctis, quàm anteà accensis. Meditationi sermo respondebat: ardebant verba, ceu faculæ admotæ auribus audientium, inspirabat amorem cælestium, eòque, facilius, quòd æstuabat. Id mirum, quòd in edito perfectionis posita, tam inde facilè se demitteret, & indignam communi luce putaret, & grauissimarũ ream culparum diceret: idque lacrymis proderet, quę alijs pudorem afferebant causas dolendi proprias cum illius causa conferentibus. Nec illa non ad eluendas modis omnibus maculas animi hortari sorores,

vt ſcrutarentur latebras, & receſſus mentis: inuentas dolore obruerent: obrutas Sacerdoti proderēt: Sacroſanctę Euchariſtię remedio aduerſus importuni hoſtis tentationes vterentur. Hinc ad externa obeunda charitatis officia; Infirmis aſſideŕe: cibos propria manu porrigere, nauſeantibus, & moribundis etiam in os inferre; interdum cum ijs vnà edere, & potare, vt appetētiam eliceret. Deſperatas monere periculi, certas moriendi confirmare, ſacris prębſidijs muniri curare, animam agentibus adeſſe: Suauiſſima IESV MARIAE nomina inclamare: & in illo extremo, in quo animi ſalus diſceptat, articulo, omni ope iuuare; nec diſcedere donec mortem obirent.

CAPVT XXXIV.

Sancia Spiritu, quo pollebat, prophetico vicinam mortem præsensentit, seque ad illam strenuè, ac piè comparat.

MEns Sanciæ aſſiduis dedita contẽplationibus ſubtiliùs rimari arcana, euenta in cauſarum ſinubus latentia diſpicere, eo illuſtrata lumine quod ex æterni fõtis luce hauriebat. Penetrabat animos alienos: abſtruſa eorum ſenſa norat, & quoad per Diuinam licebat prouidentiam, manifeſtabat. Sororibus ſæpe quæ cogitarent, quæque agitarent, de ijs tempore monebat: quaſdam, quæ re-

recta sibi proposuerant, accendebat: quasdam quæ secus, detinebat. Mirantibus cunctis quomodò hæc illi quę apud se formarant, ac nemini prodiderãt, nota, & perspecta essent. Erant nonnullę, quæ interdum grauatè ad eam adirent, quòd timerent, ne si quid minùs decorum in mentem venisset, illa cognosceret, & obijceret. Verum hoc erat, sed nulli ea vnquam exprobrauit, nec ex eo conuicium fecit. Tantum ex illo dono Dei assumere, quantum satis erat ad eas in officio suauiter continendas. Eo certè timore profecit, vt nulla auderet secùs, aut optare, aut agere, quàm oportet, anxia ne deprehenderetur. Participauit igitur huius luminis mentem suam, præsentiens mortem, quam sibi immi-

nere nouit. Hoc penitus perſpe-
cto ad mortem ſe accinxit: & in
extremo illo vitæ actu ſanctiorem
egit perſonam. Precari diutiùs,
meditari profundiùs, contempla-
ri altiùs, duriùs ſe habere, inten-
dere acriùs cuſtodiam ſenſuum,
motus animi diligentiùs obſerua-
re, affectiones attentiùs examina-
re, conſcientiæ receſſus accuratiùs
explorare, maculas ſtudioſiùs in-
quirere, dolentiùs apud Sacerdo-
tem deponere, lacrymari copio-
ſiùs; hortari ſorores ad virtutem, &
ſæpiùs, & vehementiùs, & quæcũ-
que officij ſui erant exactiùs obire.
Huic curæ intentam morbus cor-
ripuit. Initio leuis viſus: ſed pau-
lò poſt inſidioſus apparuit, quòd
lenta febri ſe inſinuabat in venas,
& ſenſim ægram animi abſume-
bat.

bat. Hunc morbum Sancia libenter accepit, patienter tulit, & loco beneficij duxit; quòd ſperabat eo ſe ab hac mortali, miſeráque vita liberatum iri. Iacebat affecto corpore, alacri animo, vultu hilari. Mæror, & ſolicitudo ad ſorores tranſierat, vicem dolentes ſuam, ſi ea, quam appellabant matrem, decederet. Hæc ſolari illas, & cõfirmare: & lenibus verbis abſtergere męſtitiam. Non eſſe de morte dolendum, quæ commune debitum ſuo interuentu ſoluit: præire ſe, ſequentes non deſerere: meliorem ſui partem ſuperſtitem, ac memorem fore: profecturam ſe ijs magis cùm videri deſineret, minùs procul abfuturam cùm propè Deum futura erat. Ac, vt huiuſce erga ſorores fidei, & amoris pignora

ra relinqueret, tria patrauit insignia erga totidem socias ægrotantes opera, quibus Deus testatam Sanciæ virtutem facere voluit. Sororum vni Cancer læuam prope mammam exederat, qui paulatim serpens penetrabat se in vitalia: iamque mors erat in visceribus. Abiecta prorsùs spe vitæ ad Sanciam ex morbo decumbentem, sororum deportata manibus, salutandi gratià venit. Eam beneuolè, re intellecta, Sancia excipiens: *an bene haberet?* rogauit. Cui cùm illa responderet, *tanquam breui peritura*. Regina: *bono animo esto: Deus meliora*, inquit. Deinde: *propiùs accede*, subiunxit, *detege vlcus*. Tum aspexit detectum, & molli manu tetigit: mox impressa Cruce dimisit. Exinde melius habere cœpit.

pit. Posteà cancer abscessit: & mā-ma alteri similis extitit. Alteram, cui mittendi sanguinis causà, incisa fuerat altiùs vena, & arteria puncta grauiter periclitantem, & malè brachium sustinentem, quod fascia obuolutum gerebat, hoc habitu ad se accedentem, sui capitis amiculo donauit: & abeuntem hortata est, vt illud brachio implicaret. Simul ac fecit, derepentè coijt hiatus intimus, & cutis obductæ scissurā sustulit, læue apparuit deinceps brachium, & constitit. Tertia dolore dentium acerrimo torquebatur, & quòd erat adolescentula, impatientiùs agebat: coacta ob id publico abstinere, & commune pensum, officiumque deserere: inedia, & vigilijs consumi, ac propè mente emoueri. Tenera ætas moue-

uebat sorores ad cõmiserationem, ac imprimis Sanciam tunc ægrotantem. Acciri eam iubet ardentem dolore, arcto excipit amplexu, & genam applicat genæ. Eo tactu obstupuere dentes, & amisso sensu doloris quieuit, & cum reliquis sororibus ad officium, & pensum rediit. Hæc ante mortem præstitit, cùm iam afflaretur æternitate.

CAPVT XXXVI.

Sancia sanctè moritur.

DEsperata demum salute Sancia, post sumptum Sacrum ad xtremum illud iter viaticum: & salutari oleo ad supremam luctam vncta, cum iam mors immi-

mineret, moneri de eo Teresiam oportuit. In vicino erat. Nec longa mora. Bene mane missus nuntius; sub noctem Teresia cum paucis adfuit. In cubiculum sororis inducta, consumptam quidem morbo, sed integris adhuc sensibus sui compotem inuenit. Peramanter inter se cum salutassent, sedit propè lectum Teresia, Et: *Si qua mors,* inquit, *lege teneretur, non tu me Sancia natu minor maiorem antecederes, sed, quod erat iustum, sequereris. Verum cum ea effectus sit, & pœna culpæ, quæ contemptus est legis, non potuit non exlex esse. Nisi si sponsi Christi erga te amor citiùs te liberare voluit huius vitæ miserijs, & ad Paradisum trãsferre, vbi agnum illum inter Virgines quocumque volet ire, comitabere. Hoc propiùs vero duxerim. Virtutis in-*

te


te habita est ratio, non ætatis. Hæc acerba, illa matura. Tibi haud graue erit à mundo separari, quæ ei minimè adhæsisti, & corpus ergastulum putasti: nec iter ignoras, quod mente agitando confeceras, & meditationi signaueras. Cito euolabis, quam nulla voluptatum vincula tenuerunt; nobisque ad te sequendam impressa vestigia per exempla relinquis. Quem præ manibus Crucifixum habes Christum, is tibi dux viæ, & auctor salutis erit. Lacteam semitam quam inibis, eius sanguine distinctam inuenies. Huic tu acceptum referre debes quicquid piè cogitasti, quicquid rectè egisti, & quicquid non deliquisti. Nisi ille te sanguis ablueret, tu munda non fores. Corpus illud Cruci affixum tuam liberauit animam. Hæ te plagæ sanarunt: illa te nuditas vestiuit: illa paupertas ditauit. Huic

*te commenda; huic te crede. Hunc spõ-
sum, & sponsorem salutis habes.* Ad
hæc Sancia hilaris, vti potuit, bre-
uiter respondit. *Nam quid ego,
tibi, Teresia, superstes essem, quæ tan-
tò me superior es virtutibus? Non est
attendendum vtra sit iunior, sed vtra
sit vtilior. Antecedo ego, in qua minor
sit iactura. Tu manes, quæ & per te
prodesse, & si quid ego proficerem,
supplere possis. Has igitur meas tibi
commendo sorores. Tuæ sunt seruæ: il-
larum curam suscipe, & in tuis nume-
ra. Cæterùm solatia quę mihi suauis-
simis verbis præbes, mirè ad pietatis
sensum afficiunt, & spei implent dece-
dentem hanc peccatricem.* Hic eam
liquit animus, & cœpit deficere.
Tum Teresia applicato ad moribũ-
dæ pectora Crucifixo. *Amplectere,*
inquit, *quem amasti, suauiare os cæ-*
le-

lecte pro te ſelle imbutum: has ſpinas pectori infige in roſas immortales erupturas. Animam collige, vt in hoc latus hians vulnere cum expiraris, infundas. Dum hæc diceret Tereſia, cæteræ ſorores ſolitis Deo precibus animam commendabant. Sancia iam ſingultibus mortem vicinam teſtabatur: & inclamante altiùs Tereſia *Sanctiſſima Ieſu, & Mariæ nomina:* cum Chorus cæterarum virginũ illa verba Litaniæ ſolemnis recitaret: *Omnes Sancti, & Sanctæ Dei intercedite pro ea:* placidiſſimè efflauit animã III. Idus April. Æra M.CCLXVIII. ideſt anno 1229. hora diei tertia. Id obſeruatum, eundem retinuiſſe vigorem in vultu poſt mortem, quem anteà in vita tenuerat, vt nihil in eo corpore præter animam deeſſet,

imò

imò videretur ex animæ beatæ hoſpitio (vti par eſt credere) excellens illa ſpecies emanare. Huius gloriæ iuſtum, & idoneum teſtimonium dedit S. Ægydius, qui tũ in Luſitania viuebat, Ordinis Prædicatorum eximium decus, cui eo ipſo quo mortua Sãcia eſt momento in Eccleſia oranti per ſpeciem videndam luce cæleſti circumfuſam ſe obtulit, quanta, & qualis ad ſuperos ibat, confeſſa Sanciam eſſe, quæ prima Dominicanos Fratres in Luſitania excepiſſet. Qua ille viſione recreatus magnum orationis ſuæ fructum cepit: eique beatitatem gratulatus, vt ſui apud Deum memor eſſe vellet, enixè rogauit. Cui illa ſe facturam, quod optabat eſſe recepit: & adhortata eſt, vt pergeret animum ſuum vir-



tutibus, proximorum doctrinis excollere breui vnà secum in superis fore. Hoc ille postea narrans testatiorem Sanciȩ sanctitatem posteris reliquit.

CAPVT XXXI.

Sanciæ corpus aufert Teresia, & ad Loruanum defert, ibique sepelit.

EXimia illa, & mirabilis pulchritudo excitauit Teresiam ad Sacrum illud corpus secum deducendum, cui beatitas deberi videbatur. Igitur egredi omnes è cubiculo sorores cum Abbatissa iussit, & in Chorum secedere, & reddito horarum penso, pastum (manè quippe Sãcia decesserat) ad tricli-

nium ire, quaſi eo tempore vellet proprijs manibus funereo habitu ſororem induere, & in feretrum imponere, & ad ſepulturam comparare. Nemini veniebat in mentem ea die efferendam. Quare nullus de pio furto ſuſpicandi locus fuit. Aliud agitabat Tereſia: ac ipſum latrocinium ſtudio pietatis cogitabat. Re cum ſuis ſocijs communicata, ex antè comparata lectica, tandiu auferre diſtulit, dũ moniales ad reficiendas ſolito cibo vires, omnes, quod ipſum fieri iuſſerat, conceſſerunt. Inter edendũ educi ſilentio è cubiculo corpus, vti erat ad funus accõmodatũ, ſed ſtragulo opertum propter circunſtantes ad portam externos, foras imperat, & in lecticam inferri, tanta celeritate & fide, vt ne oſtiariæ

quidem senserint. Præmissum corpus ipsa est secuta, cum comitibus, portis monasterij clausis ad speciem relictis. Pastę moniales postquam in Choro, vti fit, gratias Deo egerunt, studio visendi corporis ad cubiculum Sanciæ redierunt. Ac impulsis foribus stratum in quo positum corpus erat vacuũ videntes, attonitæ primum rei nouitate: mox perculsæ dolore, ingẽtem eiulatum cum gemitu ediderunt. Imprimis Abbatissa, cuius erat curandi, & seruandi corporis officium præstare. Cumque solitaria omnia inuenissent, ac Reginam cum suis abijsse, intellexerunt eam Sanciæ corpus secum abstulisse: idque agrestes quidam, in quos ea cum suo comitatu inciderat, plorantibus, ac ad ostium de-

re

re quærentibus nuntiarunt. Tum omnia luctu, lamentisque misceri, altè ingemere, queri, non tam de fraude, quam excusabat pietas, & amor sororius, quàm de sua nimia, vel fidentia, vel negligentia. Sibi imputãdum, quòd illo dulci, & caro pignore carerent, cum ipsæ tam malè custodissent. Non debuisse ab loco recedere: saltẽ vigilare debuisse, ne imprudentibus corpus auferretur. Simplicitatis se suæ meritas pœnas dare. Sensit Abbatissa ijs se querelis pungi: ceu ansam sua negligentia furto dedisset. Vt se purgaret, easque solaretur, & pacaret, opponere, Reginæ se Teresiæ iubenti paruisse. Potuisse ne se volenti sororis cadauer exuere, abluere, vngere, vestire, ad feretrum accommodare, vllo modo resistere? Sororio il-

lam, & Regio iure egisse: nec suspicandum deinceps esse acturã, quod nemini in mentem venisset. Atque vt suspicio ea de re esset, qui posset volenti auferre corpus obsisti? Quod pace ac silentio fecit, id autoritate, imperio, ac vi (si opus esset) effecturam. An liceret ei repugnare quẽquam? Matrem omnium, & Dominam Teresiam esse: Sanciam, & minorem, & priuatam, ei si viueret, obtẽperare debuisse. Sępe in illam viuam potestatem exercuisse, cur eandem non in mortuam exercere potuisset? Circa Sanciam post mortem factum, quod in vita fieri licuisset. Gratificandũ Teresiæ, quòd clàm omnibus subduxisset, quod palàm, & coràm potuisset auferre: Manere apud se spolia, & monimẽta Sanciæ, quæ satis essent ad solatium;

tium ; nec enim memoriam ijs adminiculis, seu stimulis indigere. Quòd ad se attineret altiùs in animum descēdisse Sancię imaginem, & ibi firmiùs hærere, quàm vt vlla, vel longissima, distantia posset deleri. Nec multùm curandam esse præsentiam corporis, quod caducum esset, & mortale; animi, qui sempiternus est, rationem esse habendam. Videri hanc perpetuò oculis mentis, nec vnquam abesse à contemplantibus virtutes eas, quibus abundauit, quarum tot expressas apud se illustribus exēplis imagines reliquisset. His, & alijs huiusmodi Abbatissa, sororum, quibus præerat, lacrimas conabatur abstergere. Interim Regina Teresia caro cũ pignore Loruanũ petebat. Quò tùm peruenisset extrahi corpus è

lectica iussit, & concursu moniali ũ (quas certiores de re tota per nuntios fecerat) supplicationis in modum facto, ad interiora Tẽpli propè Sacrarium deferri, ibique palam exponi, vt ab omnibus etiam externis, eò confluentibus cõspici posset, imperauit. Ibi ei ritu Christiano; & monastico iusta persoluta. Quibus peractis, in aliud, quod sibi antea parauerat Teresia, sepulcrum, deductum&; ibi Sororis, & Abbatissæ, ac principum monialium manibus conditum fuit, lacrymantibus cunctis misto cum lætitia mærore: dolentibus de iactura viuæ lætantibus de possessione mortuæ, quòd scirent quanti esset pretij ille thesaurus, qui terra obrutus emicabat in Superos spe Beatitatis.

CA-

CAPVT XXXVII.

Sepulchrum Sanciȩ ſȩpe rutilat: ipſa ſemel in choro defuncta cum viuis monialibus pſalmos canit.

VIuere pios in ſuperis manes, ibique gloria frui, teſtantur interdum lumina ex ea deciſa, & in tumulos, vbi iacent corpora illata, quò, ceu ſocietatem eorũ appetant, Dei nutu deſcendunt. Ineſt quippe illis oſſibus ſemen quoddam immortalitatis, & cineribus ardor quidam amoris, non ſuppoſitus, ſed extans, ac in altum tempore erupturus. Hoc ſigno voluit ſupremum illud Numen, Sanciæ apud ſe viuentis gloriam prodere. Haud multo poſt

post eius sepulturam, quædam moniales contemplationi rerum cęlestium deditæ, dum horis nocturnis recitatis, abeūtibus cęteris, in Choro vacabant orationi, animaduerterūt splendorem eximium in Ecclesia existere, qui cū lychnorum, & lāpadum esse non posset, miro eas modo affecit, & studio videndi exciuit. Attentè notato loco conspexerunt tumulum Sanciæ esse, cui lux illa incubabat, & inde se se in ambitum effundebat: nec illius tamen tumuli fines transgrediebatur, quasi ei loco addicta lux esset. Ac primo quidem ambigere (vti sunt feminæ, & timidæ, & credulæ) inter gaudium, & timorem, an illa vera lux, an ficta, & imaginaria existeret: Optabant veram; sed ex desiderio metuebant fallacem. Aliæ

igitur

igitur interrogare alias,viderent ne ſplendere locum? Plus fidei alienis, quàm proprijs oculis habere.Cumque omnes cõfirmaſſent lucem ineſſe tumulo,eamque inſolitam,cæleſte oſtentũ eſſe omnino ſibi perſuaſerunt. Erant quæ vellent excitare cæteras,ac imprimis Tereſiam quæ illa nocte caſu aberat; ſed aliæ obſtiterunt,quòd æquius ducerent in alium diem differre,quò exploratiùs, ac certiùs aliquid poſſent afferre. Cumque proxima nox idem prodigium retuliſſet;tũc Tereſiam, quæ diſceſſerat,& quaſdam magno natu ſorores aduocarunt; quæ cùm properè veniſſent, eundem fulgorem conſpexere, & miraculum illud eſſe duce Tereſia, quæ omnium ſuſtulit dubitationem, confirmarunt. Et quidem multis noctibus

con-

continentibus idem ſpectaculum, tenuit: poſtea interruptè & certis quibusdam temporibus, ne viſio in conſuetudinem abiret, & conſuetudo admirationem detraheret. Magnum ex eo ſolatium cepere omnes, quòd ille ſplendor pignus quoddam gloriæ, qua fruebatur Sãcia, continebat. Acceſſit aliud mirabilius, quanquam occultius. Nocte illa, quæ Sancti Bernardi feſtum diem anniuerſarium antecedit, cũ moniales peruigiles ad horas, quæ media nocte recitari ſolent, matutinas veniſsent, & pſalmos ſolennes, ſuis quæque ſedilibus inchoaſsent; vidit Goda Abbatiſsa prope Tereſiam, adſtantem Sanciam, habitu indutam monaſtico, ceu vna in choro pſallentium de numero eſset. Attonita hæſit, & parum abfuit

quin

quin exclamaret:ſed ad ſe reuerſa, compreſſit impetum , & cogitare cœpit,an deberet loco ſe mouere,ac Tereſiam precibus intentam adire, ac interrogare:an eiuſdem viſi particeps eſset? Intellexit ex perturbatione Abbatiſsæ , quid animo agitaret Tereſia : ac ei nutu ſignificauit contineret ſe ſe,nec rem proderet : ſcire ſe quid vellet, & noſse vicinã ſuo lateri adhærentem. Sic exoluto precum matutinarum penſo , dimiſſis ſocijs , diſceſſit paulo poſt Tereſia,comitante ſorore, donec in certo quodam loco pauliſper morata,euanuit . Omnia curioſè obſeruante Goda , quæ cum ſubſequi vellet abeuntes, & propè iam eſſet, vidit ſolam Tereſiam incedentem. Ad quam ſupplex:*Oro te,inquit,per Sanctum Patrem N. Bernardum,&*

obte-

obtestor: aperias roganti; quæ species illa fuit? quale visum? quid hoc portendit? Et cunctanti; *si apud te*, adiecit, *mea, quam Matrem, & Abbatissam creasti, valet autoritas, iubeo, nequid me cælatum habeas*. Ita quod precibus elicere non posset, imperio extorsit. Fassa est Teresia venisse Sanciam è Superis celebratum S. P. Bernardi solemnia, ac illa occasione visam prædixisse sibi tempus futuræ mortis, & modum comparandi se sibi ad mortem dictasse. Hanc summã esse. Cætera ne pergeret inquirere: quæ effari minimè liceret. Sed rursus Goda animosior facta. *Quando*, inquit, *te vinctam autoritate teneo, hac lege dimittam, si aperias qui sit Sanciæ in alia vita status. Purgat ne culparum, si quibus forte nexa erat, pœnas? an fruitur Beatitudine inter Cælites*

iam

iam purgata? Cui Teresia prorsus morigera. *Mater,* inquit, *Mater, vtinam in eo nos statu in quo est Sanciæ ambę essemus. Quiescit, & gaudet, & Agnum inter Virgines sequitur prorsus beata. Quin scias feliciter mortuam esse, nulla peccati labe pollutam, nec flammæ Purgatorię obnoxiam: ita recto ad Superos cursu ijsse, lustrati ritè, ac expiati animi beneficio, & sacramentorum quæ omnia piè suscepit, præsidio. O felicem, O beatam.* Tum Goda hilariter: *hac te* inquit *mercede accepta dimitto.* Sic diremptum colloquium.

CAPVT XXXVIII.

Teresiæ post mortem Sanciæ studia pia, & opera recensentur.

EX desiderio sororis maiores impetus cepit animus Teresię ad currendum in stadio virtutis. Stimulabant eius, quæ pręcurrerat, impressa vestigia. Eò currebat alacriùs, quò propiùs metam se constitutam videbat; ceu locum quoque Sanciæ vacuum implere vellet, duplicabat exercitationes virtutis: & vnà suas, & sororis partes obibat: orare ardentiùs, attentiùs meditari, precari studiosiùs, vigilare intentiùs, cibo rariùs vti, somno parciùs, rei diuinæ interesse religiosiùs, cruciare corpus acer-

cerbius, expiare culpas accuratiùs, Euchariſtiam ſumere frequentiùs, inſtituti ſui rationes obſeruare diligentiùs, ac perfectiùs. Et quoniam in conſideratione mortis multum momenti ad virtutem eſſe exiſtimabat, ne occupato ſepulchro, recordandi occaſio auferretur, aliud ſibi de nouo prope ſororis tumulũ condi iuſſit, quod deinceps frequẽtaret. Itaque duplicauit memoriã mortis ex alterius, ideſt ſororis obitu, & proprio ſui. Tanta erat incitatio Spiritus, vt feſtinare, & currere videretur, & tempus tarditatis arguere. Planè illam quaſi vnco doloris impacto ad ſuperos Sancia ſoror trahebat. Nec eximia illa Tereſiæ Sanctimonia vacua fructus fuit. Conſtat ab ea nonnulla hiſce extremis temporibus fuiſſe geſta

ſupra vires humanas Diuina in eã virtute deriuata. Solita erat Tereſia pauperes ad monaſterium emẽdicandi victus cauſa venientes, ad portam opperiri, & de manu ijs ſua eleemoſynam præbere. Acceſſit ſemel vnus, cui brachiũ inueterato morbo contractum penitus obtorpuerat, ac inutile ex humero põdus pendebat. Caſu eum, dum ſtipem porrigeret, Regina tetigit: cũ ſubitò viguit brachium, & neruis, explicatis, ſenſum, motumque recepit. Vnam è Cõuentu ſororem crura debilitata ita deſtituerant, vt iacere ſemper cogeretur immobilis, & trunco ſimilis. Venit ei in mentem tunicæ cuiuſdam, quam abs Regina dono acceperat, & apud ſe vſu detritam, ſed intactam habebat. Hac ſe plena fiduciæ veſti-

uit.

uit. Vix dum finierat, cum stare se rectè, & aptè moueri se sensit. Alteri continuus pituitæ fluxus ita pectus obstruxerat, vt præcluso prorsus spiritu suffocaretur. Acutos mala infirmos, & miseros faciũt. Remedium excogitauit, & inuenit. Nacta parum aquæ in pollubro, in quo Regina lauerat manus auidè bibit. Potus laxauit respirãdi vias, & liberam accipiendi, & reddendi aeris potestatem fecit. Humor trusit humorem. Valuit. Laborabat alia monialis vlcere quodam ex pure in pectore cõcreto, & in concauum reducto sinum enato, quod paulatim crescens sese diffundebat in vicina ingenti cũ dolore, ac periculo: nec curari poterat, quòd non extabat. Mirè afflictam, & miserabiliter afflictan-

tem ſeſe Regina inuiſit, & ſolicita vicem dolentis, tenerrimè eam ſalutans arcto amplexu ſtrinxit. Ea ſpecie amantis commota monialis, ingemuit, & cum gemitu latens virus euomuit vlcere prorsùs diſrupto, & malum euanuit. Illa iucundè poſteà, & hilariter vixit. Fama erat conſtans, quicumque febri tertiana laborabant. eos ſi aut aquam qua Tereſia manus ablueꝛat, aut quæ ei ex potu reliqua fuerat potaſſet, aut veſtem, quam illa portarat, tetigiſſent, ab ea continuò liberari. Is rumor cum ſerperet, ac in famam erumpens per totum Regnum peruagaretur, exciuit è diuerſis oppidis multos, qui cùm ſani redirent fidem rei fecerunt, & excitarunt adeo, vt nemo fermè eſſet quin optaret aliquid, quod il-

la prægustasset, vel tetigisset habere, quasi præsens contra febres remedium, idque modis omnibus procuraret. Verum cum rem illà subodoraretur, increpitis socijs, quæ res illas subtrahebant, & submittebant, seuerè edixit, nequid deinceps simile auderent: se miseram feminam, & sceleratam esse, ac indignam quam terra sustineret.

CAPVT XXXIX.

Duo mirabiliora euenta narrantur.

HAc demissione animi, & humanæ gloriæ contemptione meruit maiora patrare. Semel, cum Sacris, quibus interfuerat, in Ecclesia peractis, cælesti cibo pasta in domum interiorem rediret,

in ſeminam quæ infantem in vl-
nis propè agentem animam porta-
bat, prætereundo incidit. Cumque
ab hac rogante cum lacrymis, vt
ſanaret filium retardaretur, pau-
lùm eſt coacta ſubſiſtere: & cogni-
to quid vellet, cohorruit, & precã-
tem, modeſtè repulit, quòd ſciret
non eſſe id, quod rogabat, opis, aut
poteſtatis ſuæ. Hoc magis vrgente
matre, & fortius abeuntem tenen-
te, interuenit caſu Sacerdos illius
arbiter conſcientiæ: qui perſpecta
cauſa miſertus matris imperauit,
pro ſuo in animum iure, Tereſiæ, vt
miſerę quoquo modo, & quoad eius
fieri poſſet, ſubueniret, cuius tam
certa fides erat. Tunc illa religio-
ne obſtricta, infantem è matris cõ-
plexu in vlnas tranſtulit ſuas, & ſi-
nu fouit, ac ſigno ſuper os Crucis

edi-

edito: *Deus te*, inquit, *ſanitati reſti-tuat*. Nec plura. Bellè habentem matri reſtituit: quem conſtat diu poſtea vixiſſe, & vitam Tereſię acceptam retuliſſe. Mirabilis hic; ſed mirabilior ille euentus, quem narro, fuit. Monialis ægra, quòd lenta & inſidioſa febri laborabat, fefellit medicos. Inopina ergo morte oppreſſa ſine Sacramentis, & vltima confeſſione deceſſerat. Cumque ſociæ illam conclamaſſent, & efferre vellent, ac de loco ſepulturæ, quòd recentibus, & multiplicatis funeribus paucæ admodum, & incertæ vacabant, omninò dubitarent, rem ad Tereſiã, quæ fortè in Odeo propè ſepulchrum orabat ſuum, ſolicitæ detulerunt. Ea comperto incõfeſſam eo genere mortis deceſſiſſe, edixit, vt quamprimùm confeſſa-

riũ accersiri iuberent,& in cubiculum sororis ad eius confessionem, antequã efferretur,excipiendã deducerent. Admiratæ sorores reposuerũt eã prorsùs esse extinctã. Illa, grauius aliquãtò cõmota. *Accersite*, inquit,*Confessarium,& à me imperata facite: mora nulla esto*. Paruerunt: vocatus confessarius præstò fuit: & inductus in cubiculum monialis efferendæ eam præter spem viuam in lectulo inuenit, ad confitendum paratam. Adhibuit medicas aures ægræ animæ Sacerdos,& confessionem accepit. Vix dum eam in forma absoluerat, cùm agere animam cœpit, ipsomet assidente, & extremum officium cũ solitis pro morituris precationibus obeunte. Apparuit illam non nisi ad expiãdam ritè conscientiam reuixisse, idq;

idq; ſuis à Deo precibus Tereſiam obtinuiſſe. Quæ eo facto probauit tam ſe de ſociarum eſſe ſalute ſolicitam; vt curam etiam vltra mortem in æternitatem extenderet. Mirabile hoc eſt: ſed illud hoc in eodem genere mirabilius. Dulciam Tereſiæ alteram è duabus filiam celerior, quàm pro Medicorum opinione, mors in Caſtella, abſente Loruani matre, abſtulerat, quæ & ſi non improuiſa accidiſſet, locumq; ſumendi omnia neceſſaria ad ſalutem præſidia dediſſet, quibus illa munita deceſſerat, tamen, quòd properato opus erat, minus voto morientis ſatisfactum fuerat. Idq; ipſum Matri Tereſiæ à Deo reuelatum, quæ vicem Filiæ ſolicita ab eodem, qui reuelarat ſummis precibus contendit: vt ad vitam redire per-

permitteret, & tandiu supereſſe, donec ſe lentè, ac ritè ad mortem prępararet. Quod cũ obtinuiſſet illa reuixit, & in tanta diſtantia loci sẽſit maternæ orationis effectũ. Reuocata à mortuis quindecim vixit dies, ſeq; de nouo ad mortem, quãtum ſatis eſſet vtriuſque, & matris, & filiæ deſiderijs comparauit. Tãta precibus vis eſt, vt quod natura vincere nequit impedimentum diſtãtiæ, tollant, & vbique audiantur, & operentur.

CAPVT XL.

Tereſiæ extremus vitæ actus, & mors feliciſsima.

LOnga ætas, affecta valetudo, languor corporis, anxietas ani-

animi, tædium vitæ Tereſiæ affe-rebant. Incitabant ad mortem ſtudium ardens gloriæ cæleſtis, & deſiderium Sororis Sanciæ. His ſtimulis vrgeri ſe ſentiebat. Maiorem exinde feſtinandi cepit impetum. Creuit in ſumma ſenectute animi vigor, & quò citiùs erat moritura, eò vehementius agebat: & ſpatij breuitatem contentione ſtudij cõpenſabat. Prona videbatur ire, & quodam quaſi naturali pondere ad vitæ terminum ferri. Obſeruatum id à Sororibus, quæ vltra vires aggredientem ardua cùm viderent retinere ſæpius voluerunt, ne deficeret; verùm illi altiùs adacta vis cæleſtis, quàm vt poſſet remitti. Commonefecit eas de vicinia mortis, cuius præſentiebat ſigna, quorum vnum erat ipſa contentio:
quem-

quemadmodum enim lucerna intermortuo lumine deficiẽs in ipſo conflictu luctantis cum extinctione flammæ, collectis quaſi viribus obnitens occaſui, acriores ignes emitti, ita Tereſia, cùm propiùs abeſſe ſe à morte vidiſſet, in extremo ipſo actu vires reſumens, intentiùs agebat: & clariùs emicabat. Reſidit tamen cito illa contentio morbo ingruente, & fato incumbenti ceſſit. Verùm initio non decubuit: quaſi ſtantem illam, quæ nunquam marcuerat otio, mori oporteret. Igitur purgata ritè conſcientia piaculari Sacramento, viaticum ad ineundam ęternitatem ſingulari pietate ſumpſit, & ſalutari vncta oleo, igni cæleſti pabulum præbuit: & propoſita ſibi immortalitatis imagine, ad eam ſe penitus conforma-

mauit. Sic morte præuiſa, & animo procurato, ad moriendum prona, duci ſe in Eccleſiam, cùm iam vires deficerent, iuſſit, denuntiato ſororibus ibi ſe morituram. Prope Aram ſuper ſpõdam collocata decubuit, & ſubitò moribundæ ſpeciem præbuit. In eo articulo circunſteterunt eam filiæ, cùm de orbitate ſua ſolicitæ, tum de imminente matris morte anxię: atque, vti ſunt mollia feminarum ingenia, dolori, ac timori nimium indulgebant: nec lacrymis, nec ſuſpirijs parcebant, quòd temperare ſibi non poterant. Deſeri ſe à matre optima, à nutrice ſedula, à cuſtode fida, à magiſtra erudita, à cariſſima ſorore, in qua nulla fuiſſent ſigna maieſtatis, ſed amoris, quæ ſe ad illas tanquam æquales conformaſſet,
imò

imò & interdum dimisisset: & quę minus surgere & attolli poterant, eas sæpe subleuasset, & supra proprium caput, olim coronatum, extulisset. Quam deinceps habiturã ducem ad ingrediendum virtutis iter? quam sociam in operibus obeundis? quam præceptricem morum? quam hortatricem ad custodiam legum? quam consiliatricẽ in dubijs? quam adiutricem in arduis? quam consolatricem in aduersis? quam patronam Religionis? quam vindicem sanctimoniæ? Vna illa sublata, orbas esse omnes: vna defuncta, perituras. Pupugerũt hæc moribundæ animum, subijt commiseratio: commotus & excitatus est amor. Igitur collectis, quoad potuit conari, viribus, sic illas allocuta fertur. *Largimini mihi,*

bi, quæso, sorores (filias noluit appellare, ne teneriori nomine grauiùs percelleret) *largimini mihi, vt vos affari perspicuè possim, ne mea verba lamentis obtundatis. Iniuriam videmini facere immortalitati animorum, & haud dubiè facitis amori erga vos meo. De mea morte sic doletis, perinde ac si meus discessus æternus sit cum mei extinctione futurus: vel vos breui morituræ non sitis, & mecum futuræ: vel cum corporibus affectus animi extinguãtur. Nõ eò hæc dico, quòd vos ita esse aut fore existimetis, sed quòd vos dolor cogit eò deflectere, vnde istæ opiniones turbata ratione ducuntur. Moderamini mœrori, eumq; intra fines prudẽtiæ continete. Sicuti ego Sanciam nunc sororem sequor: sic & vos breui (quid enim est in hac vita diu?) sequemini. Vt ego vestrùm immemor (quod absit)*
fu-

futura corpore abſens eſsẽ, citò nos mors coniunget, quæ modò me ſeparat. Non feret ſpiritus natura purior, vt amor nobiliùs (quòd defæcatiùs) ardens extinguatur: nam non ille aſpectus, ſed memoriæ pabulo nutritur. An deſperatis viſuram me Deum, in quo vos ego multò perfectiùs, & inſpectura ſum, & dilectura? An morietur amor in vos meus, cùm incipio fieri immortalis? Quòd ſi propterea lamentamini, quòd veſtram me abſente doletis vicẽ, veſtramque, vt dicitis, orbitatem deploratis; videte ne veſtram potiùs rem agatis, quàm meam, & dum veſtrùm vos miſeret, in me ſitis crudeles, dum ſolatium veſtrum meo gaudio anteponitis. Frui non vultis me Deo, vt vos me interim fruamini? Non eſt iuſtus hic dolor, qui illam moratur, quam piè ſpero conſequi, beatitatem. Iniquè cum

tempore agitis: occasus vitæ senectus est. Matura poma sponte decidunt. Trudit me natura in mortem. An illi vultis obsistere? Quid? quòd æstuo moriendi desiderio: ac sponsi nostri IESV amplexibus fruendi. Liceat per vos (Atque hic apprehendens vicinum Crucifixum arctissimè secũ adstrinxit.) *huic me addicere, qui me sui pretio sanguinis emit.* Huc *lacrymas conferte vestras, hic vestros affectus collocate.* Huic *me etiam, atq; etiam commendate.* Hanc *vos Crucẽ, cum decessero, pignus mei habetote. Illa & mei à vobis discessus memoriam renouabit, & vestri cõmonefaciet.* Et ad illum. *Suscipe me tu Domine: laua meas culpas sanguine, vt ad te munda perueniam. Oscula, dum traho animã, vulneribus tuis imprimo, & extremum halitum tibi, à quo accepi, reddo. Ibo,*

N ibo,

ibo; appendix Crucis tuæ. Anima hæc mea ab extremo isto clauo fixa pendebit. Atque hic ardere visa, & vehementi spiritu concitata, maiori quã pro humano habitu surrexit, & genibus flexis constitit, iussitque sororibus, vt canerent alta voce *Magnificat*. Inchoato cantu meditabunda conticuit, & vultum in apertas manus demittens, substitit, donec ad illum versiculum peruentum. *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ*, quo absoluto, laxatis paululum labijs, efflauit animam.

CAPVT XLI.

Mortua Teresia lucet: effertur eius corpus: prope sororem tumulatur: vtriusque Epitaphia.

EO suspirio tanquã flatu quodam solutæ mœroris nubes, lacrymarum imbres per sororum oculos effuderunt. A lacrymis itũ ad oscula, præ singultibus malè formata. Detecto, quem manibus texerat, vultu, mira species mortuę extitit, quę rapiebat oculos cordaque. Splendor ille beati animi index erat. Illum radiantis instar luminis ad superos isse multi, qui extra Monasterium degebant, confirmarunt, quòd vidissent splendidũ

quendam globum è templi summo fastigio Soli similem surgere, & attolli, & vltra nubes ferri, donec illę aspectum intuentibus ademerunt. Id monialibus nuntiatum magnam partem mœroris abstersit, & desiderium obtudit gaudio. Procurato, ritu solemni, funere, ad sepulturę officium applicuerunt animos: quod, quia Teresia publicũ & sumptuosum fieri seuerè prohibuerat, vulgare extitit: quippe, quæ se viuam sepelire voluerat, nõ decebat mortuam celebrari. Itaq; elata cõmuni, & paratu, & cantu, sepulta est iuxta Sanciam intra Odeum, eo situ, vt nullo spatio interiecto, vnum alteri ex commissura coniunctum videretur. Sic ex præscripto Teresiæ. Et quidem decebat, vt quas natura sanguine,

amo-

amore, inſtituto, virtute, gratia cõglutinauerat, eas ne mors quidem diuelleret: ac poſt mortem ſepultura coniungeret. Diſcrimen tamen quod vicinitas ſepulchrorum ſuſtulerat, adhibita epitaphia attulerunt: quæ operȩ pretium erit producere. Sanciæ, quæ prima deceſſit, eiuſmodi eſt.

Sancia Infans, Regis Sancij I. Luſitanorum filia, quæ totius vitæ curſu ſanctis operibus intenta, ſuam Domino pudicitiam cuſtodiuit, Monaſticam regulam, apud monaſterium de Cellas, quod prope muros Collimbriẽſes ædificauerat, ſecuta, vbique maximis virtutum ornamentis circumſulta, & non vulgaris Sanctitatis fama deceſſit. Anno MCCXXIX. Ad hoc Templum Loruanienſe à Sorore Tereſia tranſfertur, & ſub hoc tumulo reponitur.

Caret nota mensis & diei.
Teresiæ illud.
Hic requiescit Regina Teresia Sancij I. Portugalliæ Regis filia, quæ Legionensi Regi Alphonso IX. aliquandiu nupta, dirempto matrimonio vale dicens rebus humanis, Cisterciensem habitum induit in hoc cænobio Loruaniensi, eius iussu à monachis Benedictinis ad Virgines Sancti Bernardi translato, in quo plus viginti annis perseuerauit insigni prudentia, liberalitatis, ac pudicitiæ laude, nec non virtutis, & Sanctitatis admirandæ prodigijs. Anno MCCLXX.

Quæ certè epitaphia, vt sint paulò, quàm nos antiquiora; eius temporis, quo sepultæ primùm sunt, non esse, phrasis Latina ostendit; quæ tunc bãrbara, & corrupta erat, quemadmodum alia monumenta

eius

eius ætatis tēſtantur. Præterea in annis numerandis manifeſtus error deprehenditur: nam Tereſia dicitur mortua anno 1270. ideſt anno poſt Sanciam vno, & quadrageſimo: quod verum eſſe nequit. Cōſtat quippe Tereſiam annis haud paulò plus viginti in monaſterio vixiſſe profeſſam Ciſtercienſi Sancti Bernardi inſtitutione: & poſtquam in illud ſe abdiderat, Deoq; vouerat, Corpus Sanciæ eò tranſtuliſſe: igitur vigeſimo ad ſummum anno poſt Sanciā neceſſe eſt obijſſe: atque adeò nō anno Chriſti MCC LXX, ſed anno plus minuſue MCCL. Diu vixiſſe inde liquet, quòd in Tabulario Monaſterij Sancti Ioannis Tarouquenſis codex antiquus reperitur, in quo Tereſia ſubſcribit donationi oppidi Mon-

dini factæ ab Rege Alphonſo III. Luſitaniæ, fratris ſui Alphonſi filio, Anno MCCXLVII, cui interfuiſſe Reípub. cauſa dicitur. Cæterum hic numerus intra illum viginti annorum, quos vixit poſt obitum Sanciæ continetur. Quoad cauſam erroris illud coniectem. Numerorū notas vulgari modo conceptas 1250. anſam errandi dediſſe: facile quippe fuit 5. in 7. abire, & ſic mendum in notas obrepere. Ita factum, vt pro 1250. 1270. poneretur. Quare eo anno 1250. Tereſia è viuis exceſſit. Dies mortis certus habetur 15. Kalend. Iul. qui deſideratur in Epitaphio.

AP-

APPENDIX

De fama, teſtimonijs, & ſignis Sanctimoniæ

TERESIAE
AC
SANCIAE
REGINARVM

CAPVT I.

De communi exiſtimatione, & fama,



T I paucorum, & amicorum exiſtimatio publicam fidem non facit, & ſuſpicionem creare ob affectum ſolet: præſertim ſi domi eſt nata, nec latè foras emanat; nec tem-

temporis diuturnitate firmatur: ita cùm ea communis, & alienorum promiscuè, & domesticorum est, & prodit in vulgus, vagaturque latissimè, & quotidie serpendo crescit, augeturq; tempore, famam ex opinione, & ex fama gloriam parit: quę est consentiens laus bonorum, & incorrupta vox iudicantium de excellenti virtute. Huiusmodi est ea quæ de Teresiæ, & Sanciæ, & dũ vixere, & postquã obiere sanctimonia fertur. Nata quippè intra priuatos tum Cellensis, tum Loruaniensis Cænobij, inter sorores eiusdem instituti, non tamen ibi oppressa latuit: sed vel ijs inuitis foras emanauit, seque per totum Regnum, Europamque diffudit, & orbem impleuit: nec interrupta desiit, vel interpolata redijt, sed cohærescens sibi

bi continuata eſt, ductu perpetuo, tractuque temporum, per quadrigentos, & eo ãplius annos: tot quippe vſque ad noſtram ętatem numerantur. Quę fides per manus tradita, & ab eo tempore accepta, quo ſimplex virtus, & ingenuus cãdor procul à fuco, & dolo vigebant, & in populo pio, ac religioſo (qualis eſt Luſitanus à ſuperſtitione maximè, & proteruia alienus) adulta, nulla potuit ratione corrũpi, ſubornariue. Cõmunis ea vox eſt, & Regni, & ditionis Luſitaniæ, quæ per totũ orbem terra marique funditur, & cum Solis curſu contendit *Sanctas Reginas* appellantis: ac eo titulo propria earum nomina, glorioſiùs quàm ſi proderet, occultantis. Nec vero ego in hac deuexa, in qua ſum ætate, alio vnquam affici illas memini

mini. Nec ea tantùm vulgi est sententia, sed Principum etiam, ac Regum, & omnium ordinum. Nomen insignis veneratio secuta, quæ innocēter ijs, cùm licebat attributa idoneum Sanctimoniæ testimoniū reddebat. Dùm libera pietas erat, nemo vllis impediebatur religionibus, quin pro suo quisq; studio honores in eas conferret. Qui, si postea sunt sapienter, ac religiosè repressi; habita est ratio conditionis temporum, quæ multùm habent momenti ad vtramque partem, & pietatis, & superstitionis. Non tamen Ecclesia vetuit religiones, nec cæremonias damnauit, cū palam coli deinceps vetuit. Integras illas sua nixas antiquitate, ac innocentia reliquit. Sustulit nouas, quas suspectas nimia licentia faciebat. Quem-

admo-

admodũ quòd hodie nouis ritibus cõſecrentur Sancti, non adimitur iã conſecratis Apotheoſis; ita quòd rationes cultus commutentur, non ex eo veteres vituperantur. Diuerſa erat, & ſimplicior forma colẽdi, & cõſecrãdi Sãctos ea ætate puriori & candidiori, cum ab hæreticis periculum nullum erat, & Eccleſia illis ſtimulis ad pietatem indigebat. Poſteà creſcente hęreſeon (proh dolor! malo, & abundante ſanctis Eccleſia, neceſſe fuit, & cautiùs propter hoſtiles inſidias, & rariùs propter abundantiam conſecrare.

Hæc igitur fama non linguis ſolum, ſed ſignis quoque loquitur: per vota, per ſupplicationes, per titulos per effigies, per litteras, & omnis generis monumenta. Ea vero ãtiquiſſima ſunt, atq; adeo extra inuidiam

&

& suspicionem. Vti imagines maiorum fumo commendantur ad nobilitatem, ita illa monumenta vetusto situ prisci ęui confirmantur ad fidem. Quod attinet litteras, extant Innocentij Papę III. ad Teresiã: Regijs Sebastiani, Cardinalis Henrici, & Gregorij IX. & Episcopi Conimbricensis, & Generaliũ ordinis Sancti Bernardi de illarum virtutibus, & miris operibus: quarum suis locis afferemus exempla.

CAPVT II.

Mira earum post mortem virtutis in sanandis morbis apparet.

ILlud inprimis obseruatu dignũ, Sanciam in Cellensi monasterio nonnulla edidisse post obitum huiusce

iuſce exempla virtutis: pauca item in Loruanienſi ante mortem Tereſiæ, ceu modeſtiæ ſe cauſa ſubtraheret, quòd ſine conſortio ſororis plura edere erubeſceret, cuperetq; cum ea ita gloriam communicare, vt primas ei concederet mortua, quas viua dignitatis, & Sanctimoniæ conceſſiſſet. Idque apparuit ex eo quod ea mortua, & in ſocietatē ſepulturæ accepta, plurima ſunt edita ab vtraque: vt communi ſtudio benefacerent, & communi gloria fruerentur; quaſi hæc ambarum voluntas cognita egentibus, & perſpecta foret, religio inijcitur venientibus, quo minus vna ſine altera invocetur. Ambæ ſimul imp orari ſolent: ambarum eſt auxilium: ambabus refertur acceptum beneficium. Et quidem aduerſus febres

prę-

præcipua earum vis eſt. Frequentia curationum admirationem ſuſtulit. Vulgaris ea re ducitur: in medicinam videtur tranſijſſe. Igitur quemadmodum medici ad febres leues, & vulgares morbos certa quædam & explorata habent remedia, quibus adhibitis curari ſolent: ita moniales laborantibus quartana aut tertiana febre, certa quædam pietatis opera præſcribunt, quibus editis haud dubiè ſanantur. Nec abs re duxerim methodum afferre. Ægro edicitur ſeptem pſalmorum, qui pænitentiales dicuntur per triginta dies recitatio: ea peracta vas ei porrigitur plenũ aqua miſta puluere è ſepulchris eruto, ac diluto, cuius hauſtus febrem expellit. Interdum nouendiale ſacrum fit à Sacerdote, quo ritè completo ſanatur ægrotus.

Hęc

Hęc ratio curandi tam eſt certa, & conſtans, vt in conſuetudinem verterit. Quæ idcirco eſt admirabilior, quòd mirabilis eſſe deſierit. Præterea multitudo attulit faſtidium, & peruèrtit numerum. Omiſſa pars maior: nec antiquis ea cura ſimplicioribus fuit. Poſteris cùm incuria religionem attuliſſet, notari cœpta & ſcribi mira euenta: quę vltra nonâginta ſeptem pręteritis febrium quotidianis curationibus illuſtria anno 1630. numerabantur. Horum nonnulla referre officij mei eſſe duco: quæ ſcripta ſunt fide publica, & in actis expræſcripto Ordinarij ad normam Tridentini Concilij confectis habentur.

CAPVT III.

Curationes nonnullæ mirabiles narrantur.

LVdouicæ Syluię Sanctimoniali Loruaniensi malignum vlcus circa ilia natum erat tumidum, & liuidum, & virulento pure plenum: quod eam annos multos lecto affixam tenebat nulla spe curationis. Ergo Sanctarum (vti vocant) Reginarum ope implorata, aquam superiniecto puluere illo sepulchrali ebibit: mox placido sõno capta quieuit: ex quo paulò post euigilans sanam se sensit: & sorori quę illi erat assidua confirmauit, vlcus abscessisse paruulo vestigio relicto,

cto, quantum ad fidem euentus ſatis eſſet.

In maiori periculo verſabatur alia, cui nomen Cæciliæ Caſtriæ, cuius ſiniſtram papillam cancer inuaſerat: qui paulatim ſerpendo tam ſe altè inſinuarat, vt haud procul abeſſet à vitalibus. Septennium exierat, quàm ad illam medici peritiſſimi Conimbrica venerãt: qui, inſpecto ſtatu Canceris, immedicabilem eſſe iudicarant. Tum illi ſpes iniecta remedij cæleſtis. Propè erat in ſepulcris Reginarum. Promiſit recitaturam ſe per dies viginti Pſalmos Penitentiales. Inchoauit penſum: nec dum complecto, nocte quadam madere ſe comperit, ac è papilla humoris copiam continenti fluxu manare. Erat illi amita in cœnobio: quæ

propè cubabat. Compellatæ rem patefecit. Hæc adhibito lumine vidit disruptum cancrum vim magnam puris euomere, & lectum madefacere. Exindè meliùs habere cępit, donec bellissimè habuit.

Elisabetha à Cugna Soror item Loruaniensis ancipiti, ac diuturno affecta morbo sensum, & spem vitę amiserat. Huic cum præfecta infirmarum sororum puluerem illum aqua dilutum vasculo, quo Regina vsa erat viuens propinasset; accepit sensum, & depulit malum. Planè valuit.

Idem remedium adhibitum, Violantem Limiam sociam monialem desperatam à medicis, & pene conclamatam à mortis faucibus eripuit.

Mariæ Ariæ Partheniæ item Vir-

Virgini ſtupuerant primùm, dein-
aruerant brachia, & pedes: in lecto
inutilis iacebat. Orauit ſorores
quando apertum fuit ſepulchrum
(de quo poſtea) Tereſiæ, vt eò ſe
deportarent; obtinuit, orauit, mo-
ueri cœpit: & ſolutis neruis, liberis
manibus ita ſe geſſit, vt ſũpto fer-
ramento ſtrenuè ſorores excauan-
tes, ac attollentes lapidem ſepul-
chralem iuuerit: & lentum otium
pio illo labore extruſerit, & cor-
rexerit.

Interſeramus externa. Eliſabe-
tha Andradia eiuſdem oppidi Lor-
uani vidua, angina laborans ad ſe-
pulcra venit: & hauſit aquam vaſe
contentam puluere infuſo. Senſit
momento laxari gulam, & liberè
deinceps reſpirauit.

Adoleſcens oculis captus fama è

longinquo excitus Loruanum cõtendit: eò cum perueniſſet, Aræ ſe vicinę ſepulchris applicuit: remedium petijt: impetrauit vas aquæ ſolemnis: lauit oculos: vix dum abluerat, cum viſum recepit.

Paganam mulierem à partu recẽtem lac ad alendam prolem defecerat: cui in ſupplementem iuſcula adhibebat, ſed nec nutrimentum idoneum, & carius quam pro illius copiolis erat. Itaque exijt pago, & vicatim peregrinari, & oſtiatim mendicare cępit. Fortè Loruanum venit. De mendicante cauſam Moniales audierunt; infante viſo, qui lactari debebat, nec poterat. Hortatæ ſunt poſt datam ſtipem, vt ad ſepulcra Roſarium recitaret. Mirùm! vt abſoluit, lacte abundauit.

Eli-

Elisabethæ à Faria moniali tuber quoddam strumosum occupauerat collum. Erumpebat exteriùs fædè tumor: sed periculosiùs intus guttur humor angebat. Decubuerat ex eo diu, adhibitis, & consũptis non paucis, quę medici, & chirurgi imperarãt remedijs. Deplorata salute, vt assolet, venit ei in mentem domestici medicaminis. Reginarum implorauit opem. Nec frustrà. Applicata quippe scroffis terra sepulchri, de repente crepuit tuber, & gula intus liberata, & collum extra læuigatum.

Paulæ Capralis eiusdem cœnobij præsentius periculum, sed celerius remedium fuit. Inconsideratius edenti frustulum osseum in faucibus hæserat, quo pene suffocata duas horas cum morte disce-

ptauit. Animam agenti vna ex socijs terram sepulturę aqua mistã ex vase illo commemorato in os infudit: illa impulit ossis transuersũ frustulum, & deorsum ad stomachum trusit, & semimortuam periculo explicauit.

CAPVT IV.

Alia eiusdemmodi referuntur.

INterpellemus domestica exempla externi narratione: sed illustris. Sancio Norognæ Odemirensi Comiti ex mortifero contracto morbo certa mors imminebat: quã & ille expectabat, omnibus iam sacris instructus præsidijs, nec non & propinqui necessaria ad funus parabant. Verùm in eo articulo vxor vi-

vicem viri anxia in recordationem venit duarum Reginarũ, quas illa, & coniux consanguinitate attingebant. Hinc creuit fiducia, spesque; accurrit ad coniugem, quid agitet significat. An placeat, quærit: annuit, & visus est confirmare. Tum illa nouendiale ijs Sacrum vouit: iussitque in Ara, subtus quã quiescunt, rem Diuinam fieri. Pridie quàm numerus compleretur, ingẽs ex ægroti corpore sudor effluxit, quem medici existimarunt indiciũ proximæ mortis esse. Contrà tamen accidit. Nam exinde meliùs ei fieri cœptum, & breui recreatus è morbo surrexit, & Loruanum cũ vxore veniens gratias egit liberatricibus, & Anathema ad Altare reliquit.

Redeamus domum. Seruas etiã

Re-

Reginæ ſine diſcrimine,& iuuant, & ſeruant. Harum vnam Marianam à Niuibus lenta phtyſis, & importuna tuſſis penè conſumpſerat: quam hauſta vrcei aqua, compreſſa tuſſi, & qui eam ſequebatur, ſanguine depulit: & ſocijs incolumem reddidit.

Alterius ſeruæ peradoleſcentis tenerum caput tetra, & tenax ſcabies corroſerat,& horribilem quãdam cruſtã induxerat, fœdæ porriginis effectum, & rursus fomitem. Nulla miſellæ quies ex mordaci prurigine. Verum hæc blanda molliſſimi olei eius, quæ ante ſepulchra ardere ſolet, lampadis vnctione ceſſauit, & prorſus abſceſſit.

Mariæ Coelliæ Paganæ Loruanienſis tuberaculum peſtilens pedẽ corripuerat, & compede virũlento de-

deuinxerat, erepto vſu inceden-di viginti annos lecto addixiſſet. Recurrit hęc ad oleum lampadis: ſimul ac vnxit, illum exoluit morbido vinculo, & liberè ambulauit.

Eodem oleo adhibito manum aridam Paula Craueria eiuſdem pagi egena puella, vbi emollijt, ad vſum reduxit. Benè cum aqua illa oleo conuenit; nec inter ſe pugnãt cùm ſalus agitur miſerorum. Et hoc mirum eſt. Charitas Sororum diſcrimen ſuſtulit.

Hoc alterius eſt generis. Iacebat deſperata ſalute Loruani Emmanuel Eſteuius. Oblata pro eo Miſſa ad eam Aram prope ſepulchra erectam, ſubito recepta ſanitate, alacer lecto exilijt.

Illud haud diſſimile. Mariæ Ludouicæ puerperæ cum lactare cœpiſ-

pisset infantem, enatæ quædam verrucæ rugauerant mammas, siccauerant vbera, lac omne vel suxerant, vel auerterant. Venit ad Ecclesiã, fieri pro se iussit: Missę interesse voluit: sub finem ebullire lac sensit, & spumare ea vi, & copia, vt in terram deflueret. Suppeditauit dum parere potuit, nec nisi cũ iuuenta desijt. Accusauit ætatem, quę ingrata visa est inuidere beneficio. Sed lac tũc oneri esset, & hoc beneficium fuit.

Laborabat inueterato anginæ morbo puer Emmanuel haud procul Loruano, in pago: crescẽte interius, & humore, & tumore & stringentibus guttur ægrè respirabat. Pater Stephanus vicem suam, & filij anxius, eum duxit ad Reginarũ sepulchra: oleum lampadis applicuit

cuit

cuit gutturi, peruasit ad gulam obstructam virtus, laxauit reciprocandi spiritus vias, auram liberè postea, & accepit, & reddidit.

Elisabetha Dias Anus septuagenaria Loruaniensis ex graui casu crus afflixerat: relata in domum, iacuit immobilis, & mox apparuit inutilis crure luxato, vt regere se non posset. Venit in mentem Olei salutaris tot exemplis probati. Eo vngi crus fecit. Subitò remisit dolor, moueri coepit, & paulò post ambulauit.

Catharinę Tinię eiusdem oppidi triste acciderat puerperiũ, quòd tum ægrotabat. Ex morbo, & partu periclitanti mens iniecta Diuinitus, vt inuocaret Reginas: fusis ad eas precibus, ex vtroque periculo euasit, ac salua emisit fœtũm: cui, quòd

quòd fæmina erat, Teresię inditum nomen.

Ad monasterium reuertamur. Anna Castria Sanctimonialis acerbissimo dolore dentium quartum iam mensem torquebatur: experta, & passa multa medicamenta, & tormenta, quæ illam penè edentulam fecerant: tandem matrum piarum ope implorata, & nouēdiali prece persoluta, liberata dolore dentium, & carnificina chirurgorum fuit.

Paulam Albicastriam eiusdem instituti virginem prolixior morbus afflixerat: variè vexatam veriùs, quàm curatam medici deseruerant. Derelicta iacuit dies triginta mortuę similis sine vllius cibi potusue subsidio: inedia supra morbum confecta mortem habebat

bat in viſceribus. In hoc ſtatu accurrit ad eam ſocia, & clam cæteris vas illud ſalutare aqua plenum attulit, ex quo ei propinauit. Hauſtu aperuit oculos, recepit ſenſus, cibum ſumpſit, conualuit.

Mariæ Caruagliæ latus intumuerat, & tumor in duritiem verterat, & peſtilens quoddam tuber formauerat. Decennale malum: & pertinax tenaciter hæſerat. Verùm lenis olei vnctio mollitudine ſua vicit duritiem, & virus eiecit.

Franciſca Macedia laica, ſed intra cœnobium, cum edullium inciſarum carnium manducaſſet, fruſtrum oſſis deglutiuit, quo adhærēte gulæ ſtrangulabatur. Periculum piè ſolertem fecit, Reginas inuocauit; momento auulſum oſſiculū cū tuſſi expuit: & anhelauit.

Par

Par euentus alterius Bernardæ à Costa, quam os aliud inter edendũ transuersum in gutture suffocabat. Hæc eodem vsa remedio illud excussit: seque periculo exemit.

CAPVT V.

Quędam ad Cellas Sanciæ propria.

HÆC omnia proximè commemorata Loruani ab vtraque sunt gesta sorore. Iuuat exire. Delectare varietas solet. Transferamus nos ad Cellas, ac ne carere prodigijs eiusmodi cælestibus existimemus. Non est oblita suarum Sancia: nec cum corpore abscessit aut virtus, aut mora.

Catharina Almeidia Sanctimonialis Cellensis dolore capitis, oculo-

lo-

lorum, genarumque decimum circiter annum cruciabatur, nec constare sibi satis poterat, nec rationem inire, nec quicquam seriò, aut cogitare, aut facere immani torta vertigine. Itaque & priuatim, & publicè nullius numeri erat. Quare ad Matrem Sanciam, quæ illius author fuerat Monasterij, & dux vitæ, studijs ardentibus, & vehementibus precibus confugit: caputque suum tunicula Sanciæ, quæ Cellis cum cæteris vestibus religiosè seruatur, caput obuoluit. Eoque subitò, & dolores compressi, & vertigines sublatæ, & sensus redditus: Itaq; sui omnino compos dedit se socijs, & officio suo fungi cæpit.

Mariæ Brandanæ eiusdem Cœnobij caligabant oculi, & noxius humor intro admissus pupillarum

lumen cum acri quodam morſu doloris extinxerat. Hæc admota eadem tunicula recuperauit viſum nullo dolore, ſumma facilitate, incredibili voluptate.

Eodem remedio vſa Bernarda Mellia monialis varijs, & grauibus morbis obnoxia, faſſa eſt eos, & mitigaſſe, & abegiſſe. Maria Norogna vna è ſororibus Parthenijs doloribus acutiſſimis conficiebatur. Poſt cruciatum annorum quindecim, cooperta eadem illa tunica, omnes exegit.

Non ſoli tunicæ addicta beneficia: ad oleum ſe lampadis diffuderunt. Annæ id Botelliæ exemplo patet: quam cùm periculosè ægrotantem, derelictam à medicis, ac pene cum morte luctantem ſociæ vidiſſent, oleo lampidis ad Aram

ſub-

ſubtus quam monumenta quędam Sanciæ ſeruantur, ardentis, ritè, & cum deprecatione vnxere. Fiducię euentus reſpondit. Melius ei continuo factum, & procedente die ſalus reddita.

Eò quoque peruenit Tereſiæ virtus: tanta eſt ambarum inter ſe amor, vt vbi vna ſit, & agat, altera quoque exiſtat, & operetur. Pudet quodammodo alteram ſolitariam ſine alterius conſortio ſuis proficere. Sequens id euentus monſtrabit. Mariæ Riberiæ, ancillæ conuentus vtraque Regina (quanta in ſuperis humanitas!) opem tulit. In graui periculo ex importuno morbo conſtitutam, ac penè conclamatam, ambarum implorantem auxilium, confirmarunt, & ſaluti reſtituerunt. Hæc ad Cellas. Loruanum regrediamur.

CAPVT VI.

Alia Loruani geſta admirabilia.

ELiſabetha Sylüia monialis ex humore occulto noxio, vſum manuum, pedumq; amiſerat. Septennium iam manca, & clauda in lecto tenebatur. Senſit ſemel impelli ſeſe inſtinctu diuino, vt ramenta è lapide ſepulchrali Reginarum locis affectis adhiberet, eoſque illo puluere fricaret. Aſſenſit, fecit ſecundum impulſionem à Deo acceptam: recepit integrum membrorum vſum, & ſtrenuã deinceps operam conuentui nauauit.

Margaritæ Beggiæ ſerua erat Maria Simonia mater infantuli quadrimeſtris, quem ob eximiam ſpe-

ſpeciem domina magnopere diligebat; eumque apud ſe educari paſſa, loco filij habebat. Incidit hic in mortiferum morbum: ſed ſolicita de eius ſalute domina Margarita iuſſit ei ad collum appendi ſacculum plenum terra è ſepulchro effoſſa, & illicò ſanitati redditus ad natiuam elegantiam redijt.

Angelam ab Incarnatione, ancillam Cœnobij fœda ſcabie coopertam foras eijci Abbatiſſa iuſſerat, ne cæteras inficeret; & erat periculum contagij. Recurrit miſera ad Eccleſiam, confugit ad Arã vicinam ſepulchris: mox his adhæreſcens eraſa ramenta capiti applicuit: ijs abacta ſcabie caput expolitum ſtatim recepit.

Penacouæ, oppidum id eſt haud procul Loruano, Catharina Mora-

lia cum deprehendiſſet coniugem ſuum ex morbo grauiſſimo à medicis deſperatum derelinqui; miſit Loruanum qui impetrarent ſacculum terræ ſalutaris, quæ ſemper ægrotis præſtò eſſe ſolet. Allatum adhibuit coniugi, & adhibito eundem ſanauit.

Pari pietate, ſimili euentu Matrẽ Catharinam Thomaſiam Martha Oliueria filia præſenti vitæ periculo exemit, nullo alio quàm precum ad Reginas interuentu, quòd cum longè diſtaret: nempè Soure oppido, nec liceret per inopiam, & ætatem peregrinationem Loruanum ad ſepulchra ſuſcipere, ſolis precibus agere rem maternam poterat: ijs tranſegit ſalutis negotium.

Eliſabethæ Caſtrię vni è conuer-

ſis

ſis (ſunt hæ inferioris notæ moniales) cadenti ex edito loco confracta crura, oſſibus in minutas partes diſſilientibus, ſpes nulla erat commiſſuræ, ſed opera Reginarum occulta conglutinata oſſa, & reſtituta.

Aliam conuerſam Mariam Caldeiram ſtudioſiùs admota ſcala exornantem Aram in peruigilio ſolemnioris diei, fortuito caſu ſcala deſtituit. Lapſa ex alto Altaris Cornui latu toto impetu impegit. Ex ictu os diſruptum cum ingenti dolore, ſed illa memor opis repens ad ſepulcra Reginarum ijt, vt potuit: (nec longè aberant) erepſit, apprehendit lapides manibus, & pedes recepit.

Duas eiuſdem monaſterij, vnam monialem Paulam Baptiſtam, aliã conuerſam Mariam Marcellam à

noxijs ſubtus brachiorum cauitates enatis tuberculis eædem ſorores ſanctæ Reginæ cùm terræ ſacculus eſſet adpoſitus liberarunt.

Apollonia Franciſca è phtyſi bis in præſens vitæ diſcrimen venerat: ſed præſentius fuit auxilium imploratum ab Reginis: ſemel earum ope euaſerat: euaſitque iterum: nec deinceps eo morbo tentata ſenium ſalubre experta diu vixit.

Aloyſiæ Goeſiæ ſanctimoniali ægrotanti funus parari iuſſerant deplorata ſalute medici. At illa alieni ſepulchri interpellatrix terram ex eo portari ſibi iuſſit, ac dilutam in vaſculo ſolemni cum aqua potauit: ita diſiecit funus, & paulò pòſt ſalua ſepultas inuiſit, & venerata eſt.

Andreas Simon Melius extremo conflictatus morbo, & omnibus ſa-

lutis præsidijs instructus sacro item inunctus oleo, vltimam expectabat cum morte luctam omnino impar aggredienti, ac plane deijciendus; cùm ab vxore Francisca Ioanna appenso ad collum terræ sepulchralis sacculo, quasi eo mortem contunderet aggressam debilitauit, & vicit, & vixit. Ac de his quidem hactenus. Quòd attinet curationes febrium, eæ certe tot sunt, vt numerari non possint: atque adeo ijs abstinemus vno solo contenti, quòd sit ob personam memorabile.

Alphõsus Albicastrius Conimbricensis Episcopus periodica laborabat febri: curabatur lentè, ac fastidiosè: ac eo mæstitia grauis accesserat. Itaque grauius indies malum fieri. Abbatissa Loruaniensis eius propinqua thecam plenam saluta-

ri puluere ad illum miſit ſuadens vt recitatis more ęgrotis ſolemni, ſeptem Pœnitentiæ pſalmis, collo imponeret: ita effectum, vt ceſſarent periodi, & febris aberraret, ac omnino recederet.

Hæc verò pulueris illius ſalubris virtus loco addicta non eſt: quaſi foret innata, hæret, & quocumque feratur, vigorem illum, vimque ſanandi retinet, ac præſtat, quemadmodum nos accepimus narratione nobilis matronæ Violantis à Fonſeca, quæ cum in domũ Ducis à Seſſa ſecum thecam illo plenam puluere detuliſſet, multas, & inſignes in ea parte Hiſpaniæ, eodem ægrotis adhibito, curationes effecit.

CAPVT VII.

Reginarum tumuli ex interiori Odeo ad Templum exterius transferuntur.

EST & argumentum exiſtimationis de Sanctitate tranſlatio corporum. Et hoc ſuppeditat in cauſa Tereſiæ noſtræ,& Sãciæ. Trecentos fermè in Odeo, ſiue interiori Templi parte,apud moniales annos iacuerant corpora, magno illarum ſolatio, quæ illa pia vſu capione ſui iuris fecerant: & cum ijs habitare ſe credebant. Verum creſcẽtibus indies prodigijs: ac ex eorum narratione excitatis ſtudijs populorum, maior eſſe cœpit cõcurrentium vis, quàm vt poſſet ſuſtineri.

Vti enim quisque erat affectus, ita ad tumulos properabat, & alij alios impediebant: ac sæpe quorum maior necessitas erat ob infirmitatem à valentioribus aut opprimebantur, aut excludebantur. Magna, & importuna concursatio, & turbabat moniales, & externos distrahebat. Ac multi erant, quibus cum difficilis præ multitudine ad tumulos aditus esset, vel conando vltra vires deficerent, vel desperando de accessu sine remedio discederent. Imo, & sæpe gratię, & auaritię locus erat, cũ nobiliores facilius, quàm obscuriores ab externis custodibus admitterentur: & hi nonnunquam donis ab opulentioribus ad introductionem pellicerentur. Hæc cum obseruasset Bernarda Lancastria, Abbatissa, neptis Regis Emmanuelis, &

Ma-

Mariȩ Reginȩ coniugis Patre Infã-te Alphonso eo, qui postea Cardinalis fuit, operæ pretium se facturam duxit, si sepulcra ex odeo in templum transferri curasset. Id è republica Christiana esse: commune bonum populorũ priuato monialium solatio anteponendum: ita & opem erga miseros, & pietatem erga Reginas, & earundem apud omnes famam auctum iri. Sed cum huiusce sui consilij cæteras sorores participes faceret, restiterunt vehementer illȩ, quòd nollent diuturna & pia possessione depelli. Destitit itaque à proposito, ne repugnantes offenderet: non tamen abiecit mentem, si qua se mollis occasio præberet, rem præstandi. Ecce tibi nocte proxima graui, & nobili Virgini Catharinæ Albuquerciæ, quæ po-

tea Cænobium rexit in somnis illustre visum apparuit. Fęminæ duę augusta specie, forma excellenti, eximio habitu adstabant. Capitis ornatus antiqui moris prisci æui. Calãtica rugis virgata, & cauata sinubus, caput ambiebat. Stolę adtalos demissę incisim fimbriatæ ibant: pallę cãdidissimę pulchro ex humeris iactu pendebãt: summas ad collũ partes morsu aureo fibula stringebat. Hæ se mutuo respicientes corridebant: interdum ad dormiẽtem conuersæ ei annuebant. Hanc nacta occasionem fiduciæ Catharina interrogauit: quid rei agerent? quid demu inter sę agitarent? quid ve tandem expectarent? Illæ hilares responderunt: præstolari se ibi Ioanni Læto (is erat monasterij quæstor) dum ex Abbatissæ colloquio

redijs-

redijſſet. Mox cum arriſiſſent dormienti, euanuere. Experrecta Catharina, & interpretata colloquium Abbatiſſæ, & quæſtoris de transferendis Reginarum corporibus, illicò ad domum ſe Bernardæ Abbatiſſæ contulit, & viſum narrauit, & dicta retulit. Arrepta occaſione, Bernarda ad inſtitutum redijt, & propalata ſororibus viſione, religionem incuſſit repugnantibus, quarum, vel elicito, vel extorto conſenſu tumulos ad templum tranſtulit, & illos beneficiorum fontes publici iuris deinceps fecit.



CAPVT VIII.

Aperitur sepulcrum Teresiæ: incorruptum eius corpus reperitur: mira euenta existunt.

DEcesserat ea fama sanctitatis Teresia: vt omnibus persuasum esset, non modo illius animum Beatum in Superis, sed incorruptum etiam in terris corpus esse. Ea opinio ab hominibus illius temporis tradita posteris, & per manus accepta, & fidem fecerat, & desideriũ in monialibus excitarat explorandi, verum ne esset quod tanta consensione credebatur? Et quò longiùs procedebat tempus, eò vehemẽtius studium erat. Deerat tamen iusta occasio, quæ notam leuitatis, & teme-

meritatis auferret. Accedebat Sepulchrũ extra chorum, & claustrũ in Ecclesia esse, quò minime licebat sanctimoniales transire, quæ alienis manibus rẽ cõmittere nolebãt. Itaq; & religione tenebantur, & lege. Accidit anno seculi ab earũ obitu quarti idest millesimo sexcẽtesimo decimo septimo, vt eiusmodi occasio existeret. Catharinã Syluiã illustrẽ eius cænobij virginem, cùm opibus abundaret, Magnæ Matri, & Virgini Mariæ sacellum sumptuosum ædificandi studium cepit. Facta ad id à Superioribus potestate, de loco deliberauit. Non erat alius idoneus nisi prope sepulchrũ Teresiæ, quod ab eo integerinus paries distinguebat. Auferendus hic erat capacem quærentibus locum. Id cum cæmẽtarij fecissent, aditus ab odeo in tẽplum

plum patefactus eſt, & patuit vicinum ſepulchrũ concurrentibus eò ſororibus. Quæ ſubito commotæ aſpectu, quod animis iam diu agitabant de aperiendo ſepulcro, & videndo corpore pręſtare decreuerũt. Sed cũ rem tentare cępiſſent, & cõperiſſent operculum, quo tegebatur marmoreũ ingentis magnitudinis, ac viribus ſuis diffiderent, rogarunt cęmentarios, vt illud remouerent. Nec ij negare ſunt auſi. Itaq; ſuſtulerunt lapidẽ, & in altum elatum cuneis ferreis immiſſis ſuſtinuerũt: nõ tamen prorſus loco mouerunt. Imminebat tempus deſtinatum prandio operarum, qui relicto eo in ſtatu lapide pranſum abierunt. Moniales tempore vſę, cum templum deforis clauſum, & intus ſolitariũ eſſet, mutuò ſe cohortantes per adi-

tum in pariete apertum, in templũ ſe emiſerũt, & ſepulchrum circunſteterunt, ſolicitæ de lapide prorſus remouendo. Verum cùm ibi repe-riſſent ferramenta operarum, alacres ea arripuerant, & amore ſuppeditante artẽ, & miniſtrante vires ſubmiſſis vectibus, & admotis palanghis impulerunt omnino, & verſarunt molem. Erupit continuò magna vis odoris è tumulo, qui per totam ſe diffudit afflatu mirifico Eccleſiam, & odeum peruaſit. Hac fragrantia excitæ quaſi ad vnguenta cæleſtia currerẽt, ire vlterius perrexerunt: ac interiora tumuli (Myrothecium videbatur) ſcrutari cœperunt. Operiebat corpus tenuis quædam laſpidis cruſta, inſtar lamellæ, quam nullo molimine ſuſtulerunt. Tunc maior ſe vis odoris

effudit, & affecit omnes, & cælestis sensus impleuit. Fragrabat quiddã peregrinum ambaro, & moscho simile, ac ex vtroque temperato. Sed vt apparuit corpus, aspectus rapuit attonitas: & primum defixit pauidas reuerentia, & admiratione, mox allexit suauitate. Tum clamor cohortus, & obortæ lacrymæ cum suspirijs. Iacebat corpus habitu Cistercienfi, ex S. Bernardi instituto, vestitum, sparsum floribus recentibus, ramisq; virentibus, ac si tunc auulsi, & coniecti essent. Vultus velamine nigro tectus. Palla demissa ex humeris ad pectus vsque excurrebat, & ibi altiùs collecta stringebatur: tunica niuea subtus ad pedes deiecta candicabat: calceata sandalijs partim tegebat, partim occultabat pedes: manus supra pectus can-

cellatę eminebant : hæ carnosæ ac nitidę vnguibus retẽtis visebantur. Corpus ad medium cinctum funibus è cruda stuppa demissionis, & paupertatis argumento apparebat. Truncus ipse corporis aptus, & pulcher venustè positus quiescebat. Detexit, iubente Abbatissa, Æditima, detracto velamine nigro vultum, visę sunt spirantem videre, sed partem vigoris calx non sine iniuria cutis, immodicè iniecta extinxerat. Oculi decentes, sed clausi, os modicè apertum, quantũ satis erat ad linguę ruborem, & candorem dentium ostendendum. Dormire diceres in lecto propiorẽ somniãti, quàm defũctę. Et fuere, quę illa specie delusę, indixere silentium vicinis, ne dormientẽ excitarent. Alię tetigerunt manus: tractabiles inue-

nerunt. Quædam corpus mouere loco tentarunt; tam erat ponderosum, vt onus sentirent, & deterritæ abstinerent. Vt omnibus vidē-di copia fieret, ordo seruari iussus. Veniebant senæ; tres hinc, tres inde aspiciebant corpus, eoque paulisper fruebantur, recedebant deinde alijs succedentibus: donec omnibus pro angustijs temporis satisfactum. Habitus oris, & corporis succi plenus fuisse videbatur. Statura iusta inter paruam, & magnā, extra exilitatem, infra proceritatē. His obseruatis, animaduersum dextri calcei soleam male corio adhærentem hiare, & labi. Hanc detrahi visum oportere, pretium laboris, & pignus memoriæ futurum. Ac inter detrahendum notarunt pedem tam esse tenerum, & can-

didum, ac ſi receùs tumulata foret. Flores, & rami collecti omnes; alijs ſuperiniectis meliori conditione ſub terra futuris, quàm quos abſtulerant moniales, qui breui, vel in aquam coniecti, breui aura, æſtuque aruerunt. Quot ibi oſcula! qui amplexus! quæ ſuſpiria! quæ lacrymæ! qui ſenſus pietatis! quæ mortis deſideria! quæ incitamenta virtutis! Tandem adhibita Roſaria, cruces, icunculæ, reculęque aliæ piæ, vt eo tactu aliquid attraherent virtutis è ſpirante ſanctimoniam corpore, quæ multis poſtea ad ſalutem animi, corporiſq; vſui fuerunt. Cæterùm poſt illos ſubitos fletus tanta erat alacritas, & lætitia monialium, vt vitam meliorem accepiſſe viderentur ex mortuæ corpore. Quod cum viuis

exanimè vigorem impartiret, malebant ex defunctæ aspectu, quàm ex proprio spiritu viuere. Vix cessatum. Sed oportebat discedere, & vrgebant operæ. Psalmis igitur redditis supplicatio facta, & ordine accensis cereis in Odeum se receperunt. Mansit ad corpus Abbatissa, & Æditima cum paucis, vt corpori noua ornamenta adderēt. Cinxere in orbem sepulchrum in argēteis candelabris accensis luminibus. Opertum corpus stragulo Phrygij operis, addito velo serico virgis aureis distincto, vt decentius esset. Et postquam clausum à Cæmētarijs reposito lapide sepulchrũ, super iniecerunt aliud eiusdem pretij stragulum, quo totum illud marmoreum operculum tegeretur. Sic res confecta. Eius diei me-

mo-

moria exinde celebrari cœpit. Hãc memorabilem reddidit euentus duplex mirabilis. Vnus eiusmodi est. Mariæ Ariæ Partheniæ sorori iamdiu stupuerant, ac ex stupore exaruerant brachia, & pedes: iacebatque in lecto immobilis propè truncus. Cognito ex socijs apertum Tereſiæ sarcophagum, & corpus incorruptum repertum esse, ex quo suauissimus afflabatur odor, attonita miraculo rei, orauit nonnullas familiares, vt eò se deportarent. Impetrauit. Conspecto corpore commoueri ad pietatem sensit: in spem maiorem erecta, fudit pro sanitate preces; subitò explicatis neruis, vsum membrorũ recepit: surrexit; iunxit se cæteris, & sumpto ferramento, tam se strenuè gessit, vt cum validioribus certaret. Sic

lentum otium pio labore extrusit, & correxit. Alter non absimilis. Maria Aquilaria ancilla brachium ex humore noxio eò fluente, & ibi collecto, & indurato prorsus amiserat: ex quo inutilis decumbebat. Hæc cum rumorem, strepitumque sensisset, & pulsus cymbalorum festiuos præter morem audisset, cũ quid res esset interrogasset, & accepisset, ad Ecclesiam duci se petijt, vbi propè organum locata paululũ dormiuit: & paulò post sana recepto brachio euigilauit: ac relicto grabatulo in quo iacuerat, ad locum vbi sociæ pulsabant cymbala aduolauit, & illis immista sonitus & lætitiam auxit. Verum quod Moniales simpliciter, & candidè fecerunt, ob id ijs pœnas superiores imposuerunt: qui & si pietatem lauda-

darent, violationem legum Sacrarum in exeundo è terminis clauſtri ſibi præfixi diſſimulare non potuerunt. Itaque pœnæ ſunt ijs eo nomine conſtitutæ; quas tamen illæ haud ægrè tulerunt: quod aut non animaduerterunt delictum, aut illud ſi viderunt, nimia pietate excuſari ſe poſſe exiſtimarunt. Quòd ſi forte in cauſam error irrepſit, in euentu certè, & felicitas, & ſolatium fuit,

CAPVT X.

Teſtimonia ſupra vniuerſim indicata ſpeciatim proponuntur.

IN Breuiario Ciſtercienſis Ordidinis Valliſoleti apud Franciſcum Ferdinandum de Corduba an-

anno 1611. in festo Sanctæ Franchæ folio 820. & 821. sic legitur. *Eo tempore quo gloriosa Cistercij vinea incrementum dante Deo palmites suos extendebat vsque ad mare vinum eius pretiosum, tot sanctas virgines germinauit, vt nullatenus valeãt numerari. Imprimis namque protulit Gallia Sanctam Vmbellinam B. Patris Bernardi carne sororem, sed Spiritu Sancto Monialium sui Ordinis genitricem. Polonia Heduuigem Ducissam, & filiam Gertrudem, Brabantia Lutgardem, Elisabetham, Idam, Getam, Catharinam, Aleidam, & Iulianam. Hispania in Valentia Theresiam Reginam, & in Lusitania tres sorores: Teresiam, Sanciam, & Mafaldam Reginas &c.*

Fasti siue dypticha vulgo Martyrologia Sanctorum Ordinis Cister-

ſtercij Tereſiam, & Sanciam ſpeciatim nominant, cùm palàm leguntur, vt aſſolet. Tereſiam XV. Kal. Iulias, Sanciam III. Id. April. Ea dies anniuerſaria habetur, & natalitia: qua apud Moniales Loruani, Tẽplũ ornatur, Aræ parãtut, ſolẽnia peraguntur: dicitur ijs ſacer Panegyricus, Miſſa ſicut in die Omnium Sanctorum celebratur. Idque primò ab Henrico Cardinali præſcriptum per litteras ad Abbatem Alcobatiæ Generalem Ordinis imminente Capituli generalis tempore, in quibus mandat, vt in eo ſtatutum fiat, quo caueatur, ne in die Anniuerſaria Tereſiæ, & Sãciæ celebretur Miſſa pro defunctis, ſed ſicut fieri in feſto omnium Sanctorum ſolet, ita illis diebus fiat. Qua de re cõditum eſt decretum:

Lor-

Loruanum ad Abbatissam, & confessarium cum mandatis missum, vt secundum constitutum, ea deinceps sacra peragerentur, dum Romanæ, vti par est, Ecclesiæ iudiciū expectabatur. Adde quotidianas de eijdem commemorationes in choro, quæ ab initio fieri cœptæ Religionem afferunt. Visuntur, & priuatim intra Cœnobium, & publicè in Templo effigies antiquissimę, exesæ, & consumptæ vetustate, eæque & radiatę, & coronatæ, nō factæ proximis temporibus, sed à priscis acceptæ, quæ situ ipso venerationem, & horrorem sacrum ingenerant in animis intuentium: quarum, quòd ignoratur origo, nobilius initium habent: quemadmodum eò clariores familiæ existimantur, quæ sunt propter antiquita-

ta-

tatem abstrusiores: Ac vti fumo nobilitantur imagines Maiorum, ita, & situ commendantur effigies Beatorum. Hic cultus à recentioris memorię viris non datus, sed redditus: non tributus, sed restitutus. Nec id vulgi pietati assignandum (quod in Lusitania nimis est pium) sed ad solidam, ac idoneum Antistitum, & Generalium autoritatem referendum, qui cùm sedulò causas inquisissent, & diligenter examinassent, compererunt veris, ac solidis niti fundamentis: sin minus obuiam ituri, & omnino superstitionem euersuri: præsertim postquã Sanctæ Inquisitionis in eo Regno auspicato, & feliciter erectũ tribunal, & Fidei in eo vindices & custodes cõstituti populos in officio continent, vigilantq; diligenti-

tiſſimè ne quid obrepat, non modo ſuperſtitioſum, ſed ne ſuſpectum quidem, memores Domum Dei nõ ſolũ crimine, verum etiã ſuſpicione carere oportere. Hi ſi quid inuenirent minus Fidei, & honeſtati cõſonum, non ſuſciperent, ſuſceptum non paterentur. Quod ipſum argumento eſt quicquid ab ijs admittitur, & toleratur, pium, ac religioſum habendum. Hac ratione fit, vt nuſquam purior, & perfectior ſit Religio (pace aliorum dixerim) quàm in Luſitania: idque ego, qui maiorem ſum Europæ partem peruagatus, verum eſſe comperi, pro comperto affirmo.

CAPVT XI.

Henrici Cardinalis postea Regis Lusitaniæ de ijsdem Reginis peculiare testimonium.

VT nullum esset aliud, quàm hoc quod subijcio, Hẽrici de sanctitate, & qui eam secuti sunt euentibus testimonium, satis illud, opinor, esset ad communem existimationem, & sustinendam, & confirmandam. Qui enim norit quantæ, & virtutis, & sapientiæ Princeps fuerit, is minimè dubitabit, quin quod ab eo, & creditum, & probatum fuit, id prorsus, & verũ, & sanctum sit habendum. Igitur exemplum eius Epistolæ ad Ab-

batem Sanctæ Mariæ à Tamaranibus Ordinis Ciſtercienſis S. Bernardi afferre operæ pretium duco: quæ eiuſmodi eſt.

Pater Abba Sanctæ Mariæ à Tamaranibus: Cardinalis Henricus tibi ſalutem dico. Accepi in Monaſterio Loruanienſi ſepulta eſſe corpora Reginæ Tereſiæ filiæ Regis Sancij Luſitaniæ, olim vxoris Regis Legionis: & Infantis Sanciæ eius ſororis Dominæ Alenquerij, quarum, & virtutum, & miraculorum plurima exiſtunt monumenta in Tabulario Monaſterij cuſtodita, & traditione confirmata. Cui accedunt multa, quæ quotidie ab ijſdem patrātur clara miracula. Ex quo cum Dei gloria religionis honor, & corporum animarum ſalus, & communis vtilitas haud dubiè conſequatur, propterea tibi ſeriò iniungo; vt quamprimum eò te conſe-

ras,

ras, & de his omnibus diligenter inquiras, & quæ vera comperias, de ijs me facias certiorem; vt cùm omnia perspecta, & explorata habuero, ad Dominum meum Regem scribam, postulans vt velit earum memoriæ consecrandæ pium à nobis negotium suscipi, & ad id suam apud Romanum Pontificem authoritatem interponat. Quod si ad inquisitionem rerum opus sit in Monasterium intrare; eius rei tibi ego, cui tua probè cognita virtus est, facio potestatem. Vale. Eboræ V. Idus Augusti Anni MDLXXIV.

Cardinalis Henricus.

His litteris sic Abbas respondit.

Celsissime Princeps. Tuis acceptis Lorvanum me ad Monasterium contuli, & quod expedire visum fuit, assumpto in socium cõfessario, intraui in Cœnobium. Recognoui scripturas Tabularij, inter

quas erat vetustus codex manuscriptus, qui referebat Teresiam Sancij primi filij Alphōsi Henricij eximij bellatoris, à quo Mauri ad Oriquium superati fuerunt, nuptam Regi Alphonso Legionensi, sine facultate Pontificia, & propterea ab eo post susceptos aliquot liberos separatam, & suscepto habitu religioso cum alijs religiosis feminis in Loruaniensi Monasterio professam Monialium institutum fuisse. Dominam item Sanciam sororem, dominam Alenquerij virginem permansisse, à qua Cœnobium Cellas dictum prope Conimbricam ædificatum cum monialibus religiosam vitã duxisse, tã arctam, & asperam, vt similis illi antiquæ Anachoritarum videretur: vtramque autem viuam, & defunctam multa patrasse miracula, quemadmodum eodem (cuius exemplum ad Celsitudinem

Veſtram mitto) codice conſtabit, quæ propterea prætermitto. Et inquirenti mihi de recentibus, plurima Moniales narrauerunt, quibus fidem fecit me præſente, quidam hydropicus, qui vix moveri poterat, & palã Eccleſiam ingreſſus, & prope ſepulchra poſitus, & poſt fuſas pro eo preces, ſanatus fuit. Quinimo & ego, cui albugo inueterata inducta macula lædebat oculum, & adimebat viſum, concepta ex eo quod videram ſpe noui miraculi, cum ad ea me ſepulchra applicuiſſem: ſubito cadere ſenſi albuginem, & maculam deleri, & oculum liberari, & ex integro viſum reſtitui. Cæterum miracula examinaui, ac reperi conſtare omnia teſtimonijs idoneis, & iuramento confirmatis, quemadmodum ea mitto, ac exhibeo Celſitudini veſtræ fideliter tranſcripta. Cui placebit ea more ſolemni opera Ordinarij

explorare, & confirmare, & publicare. Iniiciat Deus hanc mentem Celsitudini Vestræ, vt quas sanguine Regio contingit, earum honorem, & gloriam amplificet, & venerationem, & consecrationem, à Summo Pontifice procuret, impetretque ad huius Regni solatium, & gloriam, & Ordinis nostri Deus, & ornamentum: Seruet Deus, ac sospitet Celsitudinem Vestram. E Monasterio Sanctæ Mariæ à Tamaranibus 19. Octobris Anno 1574. Has ego litteras ex Lusitano idiomate in Latinum quemadmodum, & sequentes fideliter transtuli.

CAPVT XII.

Sebastiani Regis de ijsdem per litteras iudicium.

QVanta fuerit huius Regis in Deum Religio, in tuenda, & propaganda Fide studium, erga Romanum Pontificem obseruantia, præter priuatas insignes virtutes, quibus excelluit, aliàs sæpe scripsi. Ab eo igitur huiusmodi testimonium de Sanctitate, & miraculis Teresiæ, ac Sanciæ in litteris ad Conimbricensem Episcopum (in qua dioecesi est Loruanum) missis exaratum.

Episcope, & Comes. Saluere te Rex iubeo. Ex meo Caro, & Venerabili Magno Patruo Henrico Cardinali intellexi

Loruani in claro Diæcesis tua oppido iacere corpora Teresiæ Reginæ, Legionensis, & Sanciæ Infantis Alenquerij dominæ, quæ Sancti Bernardi Cistercienſe institutum professæ sanctè vixerunt, & obierunt: quarum ope Deus multa miracula patrare dicitur. Quare mando tibi per has litteras, vt siue per te, siue per alium, & alios ministros des operam deligenter, vt de illarum virtutibus, & miraculis sedula, & accurata inquisitio fiat, & quidquid constiterit, de eo me facias certiorem; deliberatum quippe est mihi, eo comperto, impetrare à Summo Pontifice, vt earum in sacris ratio habeatur. Id tibi eò impensiùs commendo, quò arctior mihi cum ijs est Regij sanguinis, (cum filiæ fuerint Sancij I. & neptes Alphonsi I. Regum meorum progenitorum) necessitudo, & maior ex earum consecratione gloria ad

me,

me, Regnumque meum redundat. Ac omnino ſcias velim hoc tuum erga me officium gratum mihi imprimis, ac iucundum fore. Sintræ 11. *Iannar.* 1575.

Ad hanc epiſtolam ita reſcripſit Epiſcopus. *Sereniſſime Rex. Acceptis mandatis Serenitatis tuæ Loruanii contendi: vt quæ de vita, & miraculis Tereſiæ, & Sanciæ tradita eſſent, traderentur ve ad normam Conſilij Tridentini dirigerem, & directa ad Serenitatem tuam mitterem, & inſpecto iam codice antiquo, in quo referebantur plurima ab ijs, & dum viuerent, & poſtquam fuerunt mortuæ facta miracula: de quibus accedẽte traditione nefas duxerim dubitare: cùm vellem ad recentiora procedere, eaque idoneis teſtimonijs comprobare, inopinata me inuaſit febris quæ deſiſtere ab incepto, ac redire domum coegit. Ea me, quaſi vltrix meæ diſ-*

diffidentiæ Conimbricam vsque insecuta, non antè deseruit, quàm mihi in remedium adhiberetur à quodam presbytero meo sacello præfecto theca quædam plena puluere ex illarum sepulchris, quã secum dedita opera inde attulerat: qua adaibita statim depuli febrem. Puduit me tunc ac etiam nunc pudet, fateor, timiditatis meæ, quòd cùm tam præsens, ac tam propè medicina esset minus, & fisus fuerim, & spem abiecerim: quod mihi illæ ipsæ visæ sunt exprobrare, & cùm febrim reliquerunt, & cum ademerunt. Decreueram respondere beneficio, ac redire. Sed adulta iam quadragesima, & appropinquante Maiori hebdomoda excludor tempore. Verum post Pascha me Serenitati Tuæ rediturum, & rem confecturum recipio. Quæ recentia (quorum magnum esse numerum puto) inuenero, ea cum perspicuè scripta, tum plenè

pro-

probata transmittam. Cæterùm spero ope ac præsidio harum sanctarum Reginarum, & te diu saluum, & incolumem futurum, & quæ agitas contra hostes fidei bella prosperum exitum habitura. Vale Rex Serenissime Aprili mensæ. Anno 1575. Episcopus Comes. Ecquis hic fuerit ex subscriptione non cõstat. Emmanuelem Menesium existimamus esse, qui prius Lamecensi Ecclesiæ præfuit, & cùm Conimbricensi præesset, in Africam cũ eodẽ, Rege Sebastiano belli Sacri causa traiecit; ibique in funestissimo illo apud Alcazarem prælio interijt. Verum nec Episcopus datam impleuit fidem, nec Rex Sebastianus exegit, quicquamue præstitit, quod ad causam faceret: quòd bellica, quæ tum ab Rege in Africam suscepta erat expeditio, curas omnes, & priuatas

uatas,& publicas eò conuerterat: cũ Rex adolescens,acer,& ferox nihil aliud præter arma,& equos,milites & nautas, exercitum, & classem mente agitaret. Quare,& Episcopos & quicumq;cuiuscumq;ordinis cõditionis ve forent,dũmodo vsui quoquo modo esse possent eodem secũ trahebat: ac imprimi Conimbricensem Antistitem,qui Comitatus iure ac titulo fruitur,& amplis opibus abundat,quòd 50. ferme aureorum millia ex annuis reditibus colligit. Henricus vero qui Sebastiano successit calamitatibus ex clade illa Africana consecutis, sic est oppressus,vt respirare quidem vix potuerit.Itaque breui, mærore iuxtà, & senectute confectus obijt. Nec deinceps ob rerum, & temporum vicissitudines licuit hanc in rem se-

feriò incumbere. Donec anno MD-CXXXIV. de integro suscepta est causa à Conuentu Loruaniensi, facta ad id à Generalibus ordinis Lusitanicis (qui nulli præterquam Sũmo Pontifici sunt obnoxij, & summam, & totius suæ familiæ rerum tenent) potestate. Itaque illo anno noua facta est inquisitio ex præscripto Tridentini Concilij in virtutes, & miracula ab Ordinario Conimbricensi, & in solemnem formam redacta, & postea Romam missa, & in Sacra Rituum Congregatione proposita, cuius fausta fuerunt initia. Assignatus quippe fuit Auspex, & Patronus (Ponentem dicunt) Eminentissimus Cardinalis Sacchetus: sed initijs minus euentus, mortis eiusdem interuentu, respondit. Nunc resurgit optima spe,
suf-

suffecto in locum demortui Eminẽtissimo Cardinali Delcio: cuius ope ac patrocinio sperandum, vt à SS. Domino Nostro Clemente IX. qui hodie nouus sol illuxit Ecclesiæ, qua est in superos pietate illarum memoria consecretur.

APPENDIX

CVm affecto iam opere incidissem in duas Epistolas Innocentij III. & Gregorij IX. ad Teresiam Reginam ab ijsdem datas, nolui committere, vt ijs prętermissis me accusare quisquam posset de negligentia, quòd non inuenissem, aut de imprudentia quòd non adduxissem, quæ vlla ex parte ad causam facerent. Illas producunt duo nobi-

nobiles ſcriptores Ordinis Ciſtercienſis Manriquus, & Brandanus. Prima eſt Innocentij eiuſmodi. *Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Chariſſimæ in Chriſto Filiæ Illuſtri Reginæ Tereſiæ ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Innotuit nobis feruor ſinceræ dilectionis, quam erga Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas etiam ſupra alios Principes Chriſtianos habere dignoſceris. Vnde eò libentius apud Celſitudinem Tuam pro illis intercedimus, maximè autem pro Epiſcopis Luſitaniæ; quantò ipſam pro eis interceſſionem gratiorem tibi eſſe non dubitamus.* Itaque. *Commendamus Celſitudini tuæ Viſenſem Electum, cuius nos electionẽ de conſilio fratrum noſtrorum ratam habuimus, vt in ſuis aut Eccleſiæ ſuæ cauſis, ſi quæ emerſerint, fauore ſimul, conſilioque promoueas, taliter, vt &*

apud Deum misericordiam propitiationemque, & à nobis laudes magnitudini tuæ debitas consequaris.

Sunt in hac epiſtola quæ morari lectorem poſſunt. Alterum, quòd nimia ſit laus illa *ſuper alios Principes*, & quodammodo inuidioſa, pręſertim collata à Pontifice. Alterum quòd minus decere videatur Pontificem apud Reginam ſubiectam Papæ intercedere pro Epiſcopis Eccleſiæ Principibus. Verum vterque ſcrupulus aufertur animaduerſo Reginis, vti feminis, plus ſolere deferri, quàm Regibus, idque ad officium pertinere. Addo Tereſiã ſingulari fuiſſe fama virtutis, & obſeruantiæ erga Sedem Pontificiam, eoque nomine ab Honorio Papa III. in tutelam, & patrocinium Sancti Petri authore Bzouio Tom. 13. an 1218.

1218. n. 6. acceptam. Quare indignum non erat, quæ Patronum habebat Petrum, Episcopis eam patrocinari, si qua in re ope indigerent. Desideratur tamen annus Pontificius, & Christianus, quem solene est adhiberi. Gregorij IX. ad Teresiam hoc est litterarum exemplum.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei Carissimæ in Christo Filiæ Illustri Reginæ Teresiæ salutem, & Apostolicam benedictionem. Ea quæ Diuinitus inspirata in augmentum Sacræ Religionis accedunt deuoto veneramur affectu, quæ Diuinis beneplacitis offeruntur. Cum igitur sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, clar. mem. ad religionem tibi habitum Cisterciensis ordinis assumenti, domum, quæ dicitur Villa noua, in præsentia fratris nostri Sabinensis Episcopi tunc Apostolicæ se-

dis delegati ad monaſteriũ eiuſdẽ ordinis de cõſenſu Diæceſani Epiſcopi cõſtruendum liberali donaueris pietate, ac idẽ Diæceſanus ibi Altare dedicauerit. Nos deuotionis tuæ precibus annuentes, id ſicut ritè, ac prouidè actum eſt, autoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio cõmunimus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, &c. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani XVII. Kal. Ianuar. Pontificatus noſtri anno 5. quæ eſt dies 16. Decembris. Anni 1231.

In hac epiſtola videtur deeſſe aliquid; nam ille Datiuus *Tibi aſſumenti* caret verbo à quo regatur; niſi

si quis verbum *donaueris* eò referat, vt sit sensus *tu tibi donaueris*: sed ineptum quiddam sonat *donare sibi ipsi*. Illa etiam constructio *clar. mem. ad religionem* duriuscula est.

Tria hic animaduertat lector velim. Alterum non posse in dubium reuocari (contrà quàm nonnulli scriptores minus eruditi faciunt:) Teresiam Cisterciensis Ordinis habitum, & vitæ institutum suscepisse, cum id perspicuè Gregorius affirmet. Alterum nihil ei post diuortium cum Rege Alphonso de Regia dignitate detractum, cùm eam Pontifex honorificè tractet ac, Reginam appellet. Tertium, & capitale in suscepta causa consecrationis locum non fore exceptioni incesti connubij, quo minus ea rectè procedat: cùm hi duo Pontifices nullam eius in scribendo rationem habuerint

rint, ac perinde ad eam ſcripſerint, ac ſi nihil illæ nuptiæ nocuiſsent. Et quidem iure, cum & ijs temporibus (vti erant rudia) ſæpe id vitij accideret, & Tereſia innocēter egerit, & mox vt Pontifex indixit diuortium, omnino paruerit, ſeq; relictis thalamo, & liberis Deo conſecrarit. Quo illa certè tam de Pontifice bene mereri viſa eſt, vt ſi quid eſset in contrahendo matrimonio delictum, id tum per prōptam, & alacrem obedientiam, & poſtea per religioſę vitæ profeſſionem, & morum ſanctitatem ſatis eſset, ſuperque purgatum: quemadmodum Deus tot miraculis ſignificauit, ac imprimis corporis incorruptione, etiamnum declarat, quaſi eam velit excipientibus nuptias opponere, ac ijs ſilentiū indicere, ac religionem incutere.

PROTESTATIO AVCTORIS



ECTOR aduerte in Elogys Virorum Illustrium quos hoc libro complexus sū nonnullā me obitèr attingere, quæ sanctitatem ipsis videantur adscribere: perstri rgo nonnunquam aliqua ab ijs gesta, quæ cum vires humanas superent, miracula videri possunt: præsagia futurorum, Arcanorum manifestationes, reuelationes, illustrationes, & si quæ sunt alia huiusmodi: beneficia item in miseros mortales eorum intercessione diuinitus; demum non nullis sanctimoniæ, vel martyrij videor appellatione tribuere. Verum hæc omnia ita meis lectoribus propono vt nolim ab illis accipi tanquàm ab Apostolica Sede examinata, atque approbata, sed tanquàm, quæ à sola suorum Auctorum fide pondus obtineant, atquè adeo non alitèr, quam humanam historiam. Proinde Apostolicum S. Congregationis S. R. & vniuersalis Inquisitionis Decretum Anno 1625. editum, & Anno 1634. confirmatum integrè, atque inuiolatè, iuxta declarationem eiusdèm Decreti à Sanctiss. D. N. D. VRBANO Papa VIII. anno 1631. factam seruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem sanctitatis, aut martyrij inducere, seu augere, nec quicquam eius existimationi adiungere, nullumquè gradum facere ad futuram aliquando vllis beatificationem, vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusa hac mea lucubratione obtinerent, non obstante quocumquè longissimi temporis cursu. Hoc tàm sanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab ea in omni sua inscriptione, & actione dirigi.

Ego Macedo

ELENCHVS

Auctorum qui de Teresia, Sanciaq; honorificè, & aptè ad Apotheosin scripserunt.



BREVIARIVM Cordubę impressum Anno 1611.

Surius tom. 1. *ad* 17 *Ianuar.*

Baronius tom. 12. *anno* 1191.

Bzouius tom. 13. *anno* 1218. *h·b.*

Odericus Raynald. tom. 12. *a* 191.

Spondanus anno 1211. *n.* 6. *& anno* 1196. *n.* 10.

Annales Regni Legionensis sub Alphonso 9.

Ioannes Bollandi, & Federic. Henschen in Att. 55. *ad diem* 17. *Ianuar.*

Rodericus Toletanus lib. 7. *Hist. cap.* 5.

Petrus de Natalibus citatus à Bollãdo.

Petrus de Ribadeneira in flor. extrauag.

uag.ad diem 16. Ianuar.

Fr. Marcus Olysipponensis lib. 4.*c*.4.*q*. 1. *& c*.17.

*Fr.Fr.Gonzaga in conuent.*2.*Portugal.*

Ioannes Tisserãdus in officia SS.Martyr.Marroch.

Boschettus in Epistol. Innocentij III. *Pap.*1.*lib*.2. *epist.* 116.*& seqq.*

*Ioannes Mariana lib.*11.*c*.19.*& lib.* 12. *cap.* 16.

Garibay Hist. Hispan. p. 2. *&*

Barbuda lib.de empres.milit sub Sãcio 1.

Antonius Vasconcellus in Sancio 1.*& in descript.Lusit.*

Villegas in Floribus.51.*die* 16.*Ianuar.*

Antonius Souza Macedo in Excell.seu florib. Lusit.

Odoardus Nunez à Leone in Genealog: Reg. Lusi.in Sancio 1.

Marisius in suis dialogis in Sancio 1.

Saria Souza in Epitom.Reg,Lusit. in Fancio 1.

Rogerius Annal.p.3.titr 17. §.24.
Fr. Ludoicus ab Angelis in virid. 55. Lusit.
Fr. Lucas Vuading. in Annal. Min. an. 1217. & 1216.
Fr. Angelus Manrique Annal. Cisterc. tom.2. Ann. 1200. *c.4. & alibr.*
Fr. Bernardus à Britto in Monarch. Lusit. in Chroni. Cisterc. lib. c. 32. & 33
Fr. Antonius Brandanus ibid. in Sancio.1 :p.l. 14.*c.*9.& 10.
Fr. Franciscus Brandanus ibid.
Georgius Cardoso in Agiologio SS. Lusit. tom.2. die 13. *Aprilis.*
Odoardus Galuanus in Sancio 1.
*Fratres Sāmarthani Galli de la Maison de Franc. lib.*41.*pag.*802. & 803.
Antonius de Macedo in Lusitania purpurata sub Ioanne Canon. Conimbr. existimato Epis. Cardin. Sabinensi.
Franciscus à S. August. Macedo frater

ter Antonij, & autor huius libelli in suo Propugn. Lusit. Gal. p. 1.

D. Rodericus Acunha Archiep. olysippori. in Hist. Eccles. olysipponi. p. 2. c. 30. & c. 27.

Fr. Franciscus Haraldus in epit. Annal. Minori. Anno 1219.

Fr. Henricus Sedulius in Hist Seraphica pag. 166.

Fr. Chrysostomus Henriq. in Menologio Cisterc. ad diem 13. Aprilis.

Barnabas Montaluo in chron. cist. l. 2. cap. 26.

Andreas Resendius in Vita B. Egidij lib. 2. pag. 40.

Aluarus Lupus in Martyrol. SS. Lusitan.

Arturus in martyrologio min. die martij 13. & Iunij. 17.

Ioannes Tamayus Salazar in Martyrol. Hispan. tom. 1. die 16. Ianuarij.

IN-

INDEX

CAPITVM.

Cap.

Cap.

per

Cap. 11.





